HERODIANI HISTORICI GRAECI LIBRI OCTO AB ANGELO POLITIANO LATINITATE DONATI.

Quibus accessit in singulos libros EPITOME *Iacobi Omphalij Andernaci: authoris vita: & de Romana historia quædam scitu non indigna.*



de la Residencia de la Compª de Jesus de Alcala

1705

PARISIIS
Apud Simonem Colinæum.
1529

ANGELVS POLITIANVS Andreæ Magnanimo suo S.

Efflagitari scribis istic ab ijs qui libros excudunt formis, Herodianum meum. Meum enim iure appello, quem quasi latinitate donauerim. Tum rogas codicē tibi ipsum tuum remittā aliquando, nostra (quod illos cupere ais) manu emendatum. Remitto, sed (vt verū fatear) leniter potius quàm seuere castigatum, sic autem, vt nostra errata plura in eo, quàm librarij deprehendas. Crediderim tamen stylo ipsi certe meo, hoc est interpretis, plus aliquanto veniæ deberi, quàm authoris: quoniam meliuscule respōdent ferè quæ scribas, vbi sit liber quasi cursus: quàm quæ vertas, vbi nihil extra præscriptū. Accedit & illud, quòd hoc mihi munus interpretandi quasi leuioris operæ fuit, vtpote qui diebus pauculis dictauerim sic deambulans. Itaq; tantū abest vt mihi inde laudem petam, vt etiam abunde pulchrum fore putem, si vitauero grauiorē culpam. Quare cum amicis reliquis, tum tibi in primis omnē huius operis defensionem non remitto solum, sed etiam propè interdico, vósq; integros ad alia reseruo, quæ post edentur. Sed quanquam plurimi sunt apud vos qui mihi etiā plus nimio fauent, vnus tamen es tu Andrea Magnanime, cognomento isto tuo gentilitio dignissime, quem equidem faciam plurimi, cum quòd ex bonis ortus, & opibus flores & honoribus, tum vel maxime quòd ingenio es elegantissimo, moribus suauissimis, gratia

quadam, quicquid agis, quicquid loqueris, imò etiam si nihil agis, nihilq; loqueris, singulari, ac vultu deniq; ipso (quod dicitur) homines deuincis. Itaq; nihil quenquam metuo, vbi tu mihi studeas. Nunquã enim male de Politiano sentiet qui placere eum Magnanimo intelliget. Vnum tantum est quod à te nunc contendo, cures pro reliqua in nostris rebus diligentia, vt quàm minimum quasi degenerent ab origine quæ mox volumina formabuntur, vtq; ne illæ ipsæ quidem adnotatiunculæ omittãtur, quas marginibus adscripsimus. Inter eas vero, etiam locos puto treis quatuórve ad summũ reperies, vbi fuit excusatione vtendum corrupti apud Græcos exemplaris. Ad hæc vero facilè procuranda obeundáq; magis idoneum habere, magisq; ex vsu tuo neminẽ possis, quàm Alexandrum Sartiũ ciuem tuum, literatum hominem, nostriq; studiosum, tum (quod ego in hac re primum puto) neutiquam in amici negocio dormitantem. Vale, in rusculo Fesulano. Pridie nonas Maias, Anno salutis M, CCCC, LXXXXIII.

ANGELI POLITIANI AD INnocẽtium. VIII. pontificem maximũ præfatio in Herodiani historiã è græco in latinum conuersam.

CVm Romæ abhinc triennium ferme in comitatu essem Florentinæ legationis, quæ tibi sancte pater Innocẽti Pont. Max. ad supremæ istius dignitatis fastigium nuper euecto gratulatũ aduenerat: memini abs te mihi magna celebritate curam delegari vertendi in latinam orationem Romanorum principum res gestas siquæ adhuc inter Græcorum monumenta nostris intactæ hominibus reperirentur. Quare cum cælestis animi tui indicio non plus mihi honoris additum, quàm oneris iniunctum animaduerterem, vt primum Florentiam sum reuersus, altissima solicitudine circũspicere cœpi quem potissimum ex omni Græcorum copia interpretandum susciperẽ. Occurrit autem in primis Herodianus hic, excellens rerum scriptor, & qui diu in palatina versatus aula, affectæq́ iam ætatis, historiam de suis tẽporibus componere aggressus, neq́ eloquentiæ caruerit laudibus, & fidem tamen in primis libertatémq́ retinuerit. Hoc vbi opus à nobis neq́ multo sanè negocio, neq́ inuita (vt arbitror) Minerua elucubratum est, ea mox tempora inciderunt, quibus & nostra impedirentur studia, & quæ plurimum valet, in scribendo omnis propemodum alacritas excuteretur. Postea vero quàm pro tua prouidentia & pacem Italiæ cupienti reddidisti, & cum patrono meo Laurentio Me-

dice, amplissimæ quidem fortunæ, sed amplioris ingenij prudentiæq; viro, priuatim affinitatem contraxisti, cessit videlicet ille quasi nymbus, suaq; mūdo reddita serenitas est, sic vt nos iam ipsos colligamus, atq; vt grauati pluuia flores, penéq; decidui, ad nouæ lucis radios erigamur. Ergo et vetera edere in publicum, & noua procudere iam libet, vnde aliqua modo vel tuo sacratissimo nomini celebritas, vel nostris tēporibus claritas, vel studiosis etiam hominibus vtilitas pariatur. Cæterum Herodianum hunc nostrum, donec maiora tibi ac fortasse meliora parturimus, veluti præludium aliquod veri iustiq; laboris læta rogamus fronte excipias summe pontifex, magnā in eo negociorum personarúmq; varietatē, multam rerum nouitatem deprehensurus, crebráq; in vtrāq; partem fortunæ ceu vacillantis exempla, consiliáq; admirabilia, & consiliorum inopinatos euentus, grauésq; pro tempore sententias, & plenam vbiq; dignitatis, plenam suauitatis orationem, copiosam videlicet quandam ad instruendos mores supellectilem, & ceu speculum humanitatis, in quod inspicere omnis vita vnde ea capere atq; haurire documenta queat, per quæ vel publicis vel priuatis rationibus consulatur. Quæ sanè nostræ fuerunt partes, tentauimus profecto: vtinámq; etiam effecerimus, vti omnia ex fide responderent, ne inepta peregrinitas, ne græculæ vsquam figuræ, nisi si quæ iam pro receptis habētur, latinam quasi polluerent castitatem, vt eadem propemodū esset linguæ vtriusq; perspicuitas, eadémq; mū-

ditiæ, idem vtrobiq; sensus, atq; indoles, nulla vocum morositas, nulla anxietas. Tu quãdo nobis aliquod ceu signũ ex arce ista tui pontificatus ad bene sperandũ sustulisti, perge obsecro sanctissime pater, perge inquã fouere atq; illustrare bonas artes, quæ sese pedibus istis sanctissimis aduoluũt supplices, numénque tuum aduersus rudem inscitiam tetrámq; Barbariã implorant, vt à quo pax Italiæ, atq; adeo terrarum orbi restituta est, etiam ab eodem pacis alumnæ literæ, ab iniuria scilicet atque indignitate vindicentur.

INDEX EORVM QVAE IN hoc opere tractantur.

Indicis huius ratio, A primam folij faciem indicat, b secundam.

A

FINIS.

VITA HERODIANI HISTORICI.

Erodianus Alexandreus Grāmaticus, filius Apollonij Grammatici Dyscoli cognomento, legum ciuilium prudentia insignis, & historiographus suæ ætatis eminentissimus, in Reipublicæ officijs, ac imperialibꝰ munijs omnē ætatē cōsumpsit. Cum propter ingenij felicitatem in principum familiam adscitus, diuersa imperatorum studia, varios item bellorum negociorúmq; euentus videret, in experiundo etiam cognosceret, quæcunque vel domi vel foris dignè turpéq; gesta sunt, quales itē se principes pro ætatis ratione, aut dominandi libidine gesserint, ea vt quæq; memoratu dignissima, conscripsit. Floruit potissimum sub imperatore Cōmodo Marci philosophi filio: à cuius principatu historiam suam exorditur.

DE ROMANA HISTORIA QVAEDAM SCITV NON INDIGNA.

REGES.

R Oma post excidium Troiæ annis.433.ante Christi incarnationẽ.752.cõdita, Reges tulit septẽ annis circiter ducentenis quadragitaquatuor. Romulus coorta tẽpestate cũ magno fragore è medio sublatus est, authore T. Liuio. Regnauit annos.37. Senatores deĩde decẽ annũ vnũ: quorũ vnus cũ imperij insignibus ac lictoribus procedebat. Imperiũ fuit quinq; dierum. Numa Pompilius tres & quadraginta. mortuus in summa ac validissima Reipu. trãquillitate. Tullus Hostilius ob religionem indigne administratã fulmine ictus cum domo cõflagrasse dicitur. Regnauit an.32. Ancus Martius cuilibet superiorum militiæ pacisq; artibus par, decessit imperio administrato annis quatuor & viginti. Tarquinius Priscus Anci regis filiorũ insidijs circũuentus, (pastorum siquidem alter securim in caput deiecit) imperium habuit annos duos de quadraginta. Seruius Tullus ab Tarquinio genero suo medius arreptus, ac per gradus præceps deturbatus, fugiens ab insequentibus est interfectus. Per patris corpus filia Tullia carpento euecta, paternũ sanguinem ad penates suos domũ retulit. Mortuus imperij sui anno.44. Tarquinius Superbus propter stupratam Lucretiã regno expulsus anno.25.

CONSVLES ANNVI DVO.

C Onsules deinde regno successerunt ab Iunio Bruto & P. Valerio ad Pansam et Hircium numero. 877. Quadragintaquinque annos Romæ consules defuerunt, cum interea Decemuiris Romana res designata esset annis duobus, Tribunis militũ tribus & quadraginta. Annos deinde quatuor Ro. plebs imperij omnis impatiens magistratibus caruit, donec rerum summa ad vnius arbitrium deuoluta est.

IMPERATORES.

S Ingulare imperium primus obtinuit C. Iulius Cæsar. huic successit Octauius Cæsar August9: qui tãta authoritate vniuerso terrarũ orbi imperitauit, vt ceu deus adoraretur. Memoratur ille nocte ea qua Christus in Bethlehẽ natus est, pueri IESV imaginẽ cũ virgine matre in cœlesti circulo vidisse. Ab eo imperatores numerãtur ad Marci tempora, Claudius Tiberius, qui imperauit annos. 24. C. Cæsar Caligula annos. 4. imperauit. Claudius Tiberius. 14. Domitius Nero. 13. Sergius Galba menses imperauit. 7. Otho Saluius mẽses. 4. Vitellius menses. 8. Vespasianus annos 10. Titus annos. 2. & menses. 2. diésq3. 20. Domitianus annos. 15. Cocceius Nerua menses. 13. dies. 10. Vlpius Traianus an. 20. Ælius Adrianus an. 12. Antoninus Pius an. 23. M. Antoninus an. 18. cũ fratre aliquãdiu, solus deinde regnauit, vir philosophiæ studiosus, & literarum græcarum peritis

simus: omnibus cõmodus & gratus imperator. Extinctus ætatis suæ an. 59. mœrore, ut Herodianus memorat, magis quàm morbo. Filium habuit Cõmodum: cuius hic principatus describitur.

IACOBI OMPHALII ANDERNACI EPItome in octo libros historiarum Herodiani græci historici.

EX LIBRO PRIMO.

m

Arcus imperator iam moriturus Commodum filium propinquis commendauit excolendum. hic patre mortuo Ro. imperator declaratus: cuius prima ætas magnã populo spem paternæ uirtutis pollicebatur: & præstitisset, ni adulatorũ uulgus mobile illius ingenium uoluptatũ illecebris corrupisset. Relicto igitur hostili solo Romã faustis omnium acclamationibus est ingressus. Perennius exercitui præfectus principis adulescẽtia pessime abutebatur: & ipsa quasi inuida fortuna rectũ illius moderatúmque animum subuertit. Lucilla indignissime ferens prælatam sibi Crispinam Commodi uxorem, Quintianũ adulescẽtem eo pepulit audaciæ, ut Senatus authoritate imperatorẽ adortus, pugione ipsum confossurus esset. Prima hæc odij causa aduersus Senatum. hostiũ loco ferè omnes habiti, plurimi interẽpti. Perennio, quòd imperij sibi summã ambiret, caput abscissum: nec mitius cũ huius filio actũ. Post illa, præfecti duo constituti. Maternus insidiarum reus

pœnas dedit. Pesinũtia dea magna cum religione in vrbẽ relata. Sæua deinde pestilẽtia cũ ingẽti hominũ pecorúmq; strage ingrauescebat: quam fames statim subsequebatur. Laurentum Commodus secessit. Cleander Phryx genere, cum imperium sibi vendicare in animo haberet, & pessimo tamen odio apud vniuersos laboraret, ausus fuit ciuile bellum concitare: cuius caput amputatum, ac præfixum conto, gratum plebi spectaculum præbuit. Reuersus in vrbẽ Cõmodus, neglectis rectissimis studijs, reliquã ætatẽ effrenis corporis voluptatibus conspurcauit. Visa ea tempestate prodigia in cœlo. Pacis delubrum, ac vrbis pleraq; ædificia flammæ conflagratione consumpta. Calamitatis huius causa omnis in principẽ translata. Et is sanè in omni genere turpitudinis nihil sibi fecit reliqui, adeò impatiens censuræ, ac recti consilij, vt potiora suggerentibus necem etiam proscriberet, donec Martia eodem se dolo ad mortẽ peti per literas edocta, veneno Commodum infecit. virus dein expellentem Narcissus strangulauit.

EX LIBRO SECVNDO.

OCciso Commodo Ælium Pertinacẽ ad imperij gubernacula à Læto atq; Electo adscitum, vniuersus populus principem Romanum declarauit. Huius spectata animi probitas vt cæteros in optimam spem erexit, ita prætorianas cohortes vehementer offendit, quibus à rapinis scilicet & cæde fuerat temperandum. Quare in maxima

Reipublicæ tranquillitate facto impetu principem mitissimum benigna oratione militum furorē placantem sæuissime obtrūcarunt, bimestri vixdū imperio expleto. Venale tum imperium emercatus Iulianus spem fidémque militum fefellit: quæ res ipsum pessime odiosum militibus fecit, Nigrum, qui Syriæ vniuersæ præerat, Ro. imperij vindicem ac imperatorē vocitantibus. Cunctatio Nigri ad imperij spē Seuerum prouocauit. Is genere Afer, homo astutus, & ad simulationem factus, Pannonijs imperitauit. Conciliato itaq; exercitu, ad vrbem profectionē parauit studio vlciscendi Pertinacis cædem indignissimam: simul vt regnum Ro. direptui quasi expositum ipse occuparet. Formidabilis primum populo, augusti honores post accepit. Iulianus inter miserandam cōplorationem à Tribuno plebis trucidatus, morte sua ipsius pecunia empta occubuit. Prætoriani milites astu circunuenti, vt Pertinacis cædem aliquo supplicio expiarent, spoliati, & regno expulsi sunt. Seuerus in Orientem contra Nigrum profectus, Albinum patricium hominem & præfectum Britannicis exercitibus, Cæsarem appellauit.

EX LIBRO TERTIO.

N Iger vt audisset Romam præter expectationem à Seuero interceptam, & copias contra se duci, Taurum montē Byzantiumq; validissimis firmauit munimentis. Æmilianus interim, cui belli summam Niger demādauit, ad Cyzicum

cum Seuero acerrimis prælijs pugnauit. Victi fugatiq; Nigri milites terga fugæ mandarũt. Seuerus deinde Tauri munitionẽ non sine multo labore demoliri conatus est. Apud Issicum sinum magna vtrinq; edita strage pugnatum, disceptante super Ro. principe fortuna. Delitescenti in suburbano quodã Nigro caput abscectum. hoc sublato, Seuerus prius dolo, aperto deinde bello Albinum tentat: donec apud Lugdunũ pugna atrocissime cõmissa fusis Britannis, Albinus ipse capite est multatus. quod Romæ patibulo publice affixum, Albini studiosis exemplo supplicij fuit. Romã profectus Seuerus spectaculis retinuit populum. Cũ Atrenis postea cõflictu ĩfeliciter collato, Parthicam victoriã insperatò obtinuit. Antonino filio suo in matrimoniũ filiã Plautiani cuiusdã dedit: quẽ haud multo post tẽpore hostilis animi reũ citatũ, occidi sustinuit. Annis duodeuigiti ĩperio administrato decessit.

EX LIBRO QVARTO.

S Eueri regis filios vrbem ingredientes laureatus populus & Senatus consalutauit. Funus Seueri in templo cõpositum. Regnum inter se dissidentes fratres diuiserũt, Europa Antonino, Asia Getæ de sentẽtia amicorũ adiudicata. Antoninus æmuli & consortis odio, regniq; cupidine victus, Getam fratrẽ inter matris cõplexum crudelis obtruncat. Scelus tantum largitionibus magnis lenitum. Addidit sceleri multorum cædem qui Getæ impendio magis studebãt. Roma discedens multas inui-

ſit prouincias. Apud Alexandriam magno quauis honore exceptus, contumeliæ tamen aliquando acceptæ haudquaquã diſſimulator, Alexandrinam iuuẽtutem nihil tale cogitantem ac inermem contrucidauit. Simili fraude per ſimulatam matrimonij affectationem Parthorum regem Artabanum ad cædem petijt, qui tunc Ro. principem nuptiali honore dignabatur. Barbaros omnes ingenti clade obruit. Sed quia tẽpus fuit Antoninum ſuis quaſi fatis perire, Martialis quidã Macrini promiſſis adductus, imperatorem inter naturæ requiſita occupatum pugione traiecit. Succeſſit regno Macrinus. hic cum Artabano ingenti hominum clade pugnãs, pacẽ tandẽ cũ rege Parthorũ cõpoſuit.

EX LIBRO QVINTO.

a Ntonini mortem læta Ro. plebs excepit. Macrino Auguſti honores decreti. is Antiochiæ delicioſius ſolito agitans, Romã imperatoris cupidã nõ petijt: & milites patriæ deſyderiũ ægre ferentes, ingrata ſuſtinuit mora. quare breuẽ imperij ſui finem ſortitus. Mæſa Phœniſſa mulier, Iuliæ ſoror fuit: cuius filia altera Baſianũ genuit. hic in vrbe Emæſa ſacerdos, adoleſcentiũ eius ætatis longe formoſiſſimus, & quem ſacrificantẽ cũ alij, tum Ro. milites magna admiratione inſpectabãt. Perſuaſit Romanis Mæſa filiũ hunc Antonini occiſi eſſe, magnóſq; ſe pecuniæ aceruos, ſi regnũ ſuæ ſoboli reſtituatur, cũctis elargituram. Quapropter noctu vrbe cũ liberis

nepotibūsq; egressam in castra acceperūt milites. Macrinus his auditis Iulianū præfectū cū exercitu misit rebelles expugnatū. at illi ex castris vociferabant Antonini filiū secū esse, & plena omnia pecuniæ. Itaq; caput obtrūcati Iuliani ad Macrinū remissum: ipsi patētibus portis in castra sunt accepti. Monit rei indignitas Macrinū, & omnē repēte exercitū contra insidiatores eduxit. Cū ambiguo aliquādiu Marte pugnatū esset, fugā ipse occupare: sed mortē effugere nō poterat, occisus vnà cū Diadumeno filio. Tractauit deinde Antoninus falsò ita appellatus obscœna studia. Huius consobrinus Alexāder ex volūtate Mæsæ Cæsar designatus, virtutem nullo non loco exercuit: qua breui tempore militum animos cū summo fauore in se conuertit. Antoninus dū alienam virtutē extinquere studet, ipse sexto imperij sui anno simul & mater confoditur. Eorum cadauera publice dilaniata, postremo in cloacas abiecta sunt.

EX LIBRO SEXTO.

Lexianus Alexander imperij Romani in-
a signia adulescens gessit. Sedecim senatorij ordinis viri, quorum suffragio & sententia omnia administrarentur, tum primum electi. Mæsa auia diem suum obijt. In altissima tunc pace agitantem Alexandrum bello euocauit Artaxares Persarū rex. Collecta itaq; militum copia omne genus, Roma lachrymans profectus Antiochiam contendit. Illinc oratores qui de pace agerent, ad regem Persarum le-

gauit. eos re infecta Barbarus domum remisit: & vt Romanis terrorē inijceret, è suis quadringentos corporis proceritate auróq; insignes, & armis formidabiles ad Alexandrum misit: quos ille spoliatos, omnique ornatu exutos in Phrygiam relegauit. Exercitum deinde coactum trifariam distribuit. Ro. milites Barbarorum fines ingressi, ingenti calamitate fusi cæsiq;. quæ res Alexandro tum ægro & mœstitiam & dedecus attulit. Quare Antiochiam reuersus, se suósque curat milites. Vt primum Germanos Rhenum Danubiúmq; transgressos nunciatum est, inuitum extemplò exercitum eduxit contra Germanos: pontémq; primū iunctis inter se nauigijs fecit in Rheno flumine. Collata acie res gerebatur, Germanis nihildum Romanis cedentibus. Obrepsit interea Maximinus tyronibus ab Alexandro præfectus, qui studio & militari diligentia apud cunctos gratiam iniuit. hunc milites ceu strenuum cōmilitonem, mox omnibus principem vtilem futurum, vel odio Alexandri propter acceptam cladem faustis acclamationib9 imperatorem designauerunt. Alexander vnà cum matre immatura morte affectus est, cum quatuordecim annos sine sanguine imperitasset.

EX LIBRO SEPTIMO.

MAximinus rerum potitus, mutato statim ingenio pessimis studijs impegit, nihilque ad tyrannidis crudelitatē exercendam sibi fecit reliqui, multorum postea cæde insignis, coniuratio-

nis in ſuam ipſius perniciem conſenſum extinxit. Quartinus ab Oſrhoënis dux decretus, per Macedonem occiditur: qui ipſe violati fœderis proditioniſque accuſatus pœnam dedit. Contra Germanos acerrimè exitioſéq; victor Maximinus pugnauit. Sed cum ſæuiendi libidine nimia prouectus inſolentius in ciues debaccharetur, & Africæ procurator principis edicto magna omnes pecunia cenſeret, coniurãt aliquot adoleſcentes nobiles in procuratoris ſanguinem. Illo interempto, Gordianum nihil tale ambientem, denique reluctantem, Auguſtum conſalutarunt: virum nempe optimũ, ac iam ſenem, omnis æquitatis authorẽ, & qui pòſt Vitalianum prætorij præfectum, ferocẽ iuuenẽ, atq; Maximino deuotiſſimũ pugionibus confodiẽdum curauit: cæteris etiam illius procuratoribus in cloacas abiectis. Hæc ignominia Maximini animum ad furorem ſæuitiámq; proritauit: ideoq; maximo exercitu profectionem in Italiã parauit. Capellianus interim Mauritaniæ procurator iuſſus eſt a Gordiano prouincia abſcedere: quod ille animo iniquiſſimo ferens, cum exercitu armis viriſq; inſtructiſſimo Carthaginem ingreſſus, exceptúſq; ab vniuerſis Carthaginenſibus, metu ſcilicet perterritis, ad vrbem progredi ſtatuit. Quare deſperatis rebus Gordianus laqueo ſe ſuſpendit. Huius filius patris nece diſſimulata, dux electus in pugna cecidit. Maximus atque Albinus imperatores in Capitolio creati. Ortus deinde concurſus ſeditioſorum hominum ex Gordiani genere principem ſibi depoſcentium: quem Senatus non prius

ſedare potuit, quàm Gordiani nepotulus Cæſar declaratus eſſet.

EX LIBRO OCTAVO.

d Eſtinatum in Italiam iter confecit Maximinus. Superatis Alpibus, Aquileiam Italiæ vrbem vaſtam atque ingentem oppugnare magno conatu enixus eſt: quam vbi præter opinionem populo armiſque munitam eſſe intellexit, viſum eſt oratores in vrbem mittere, qui ſimulato animo pacē patriæ petant, perſuadeántque ciuibus vt Maximinum optimum principem pro hoſte amicum recipiāt. Eos Criſpinus cum ſocio Menephilo dux electus remiſit. Ira itaq; percitus Maximinus, multo negocio, multa item Germanorum ſtrage, confectis ex cupis ſcaphis, Tanaim ripam tranſgreſſus, igne armiſque omnia corripuit: & Aquileiam ſecūda adeóq; magis infeſta oppugnatione adortus eſt. Aquileiēſes, & omnis ſanè ætas patriam defenſantes, hoſtes pice ignéque peſſimè acceperunt. Quare victoriæ ſpe falſus Maximinus, animo furens, iram omnem in duces exercitus euomuit. quo factum eſt, vt ſuis militibus contemptibilior habitus, poſtea vnà cū filio trucidatus, ſupremam etiam contumeliam retulerit, cadaueribus ſcilicet beſtijs obiectis. capita ipſorum Romam ferebantur. Magnam id populo vniuerſo lætitiam afferebat. Maximum læti laureatique Aquileienſes reſe-

ratis portis in ciuitatem acceperunt: qui breue inde ad tempus Romam reuertebatur, occurrente Albino ac Gordiano Cæsare: omni deniq; populo gratulante. At militum animi exulcerati, quòd à Senatu imperatores sibi datos ferrent. quare vesani vtrunq; imperatorem indignis ludibrijs excarnificatũ interimunt, Gordiano Cæsare consalutato.

HERODIANI HISTORIAE DE IMPERIO POST Marcum, vel de ſuis tēporibus, liber primus, è Græco tralatus, ANGELO POLITIANO interprete, ad Innocētium VIII pontificem maximum.

PROOEMIVM.

QVi res antiquas poſteris prodiderunt, veterémq; hiſtoriæ memoriam renouare literis ſtuduerunt, ij magna ex parte dum famam eruditionis affectant, noménq; ſuum conantur ab iniuria obliuionis aſſerere, minus ſanè multam in veri perueſtigatione, quàm in exornanda cōponendáq; oratione induſtriam poſuerunt, rati ſcilicet, neque ſi quid in rebus à ſuo ſeculo remotiſſimis falſi proderetur, poſſe refelli: & ſe tamen ſuauitate narrationis ampliſſimum laboris ingeniíq; ſui fructum percepturos. Alij verò priuatis inimicitijs, tyrannorúmq; odio prouecti, aut in laudes principum, ciuitatum, priuatorúmq; hominum immodicis aſſentationibus effuſi, tenues per ſe res, atq; humiles, ſcribēdi tamen artificio longe ſupra veri fidem ſuſtulerunt. Ego vero contrà, non quidem acceptā ab alijs, aut incognitam, aut teſtibus egētem hiſtoriam, ſed eorum qui legent, ſenſibus adhuc memoriáq; inhærentem, ſumma vel fide vel diligētia collectam, conſcribendam ſuſcepi, ſperās haud iniucundam fore poſteritati earum rerum notitiam quæ multæ ſanè atq;

Quid hiſtorici veteres ſpectarunt.

Perſuadet lectori hiſtoriæ ſuæ fidem.

magnæ haud ita longo tempore acciderũt. Nam si quis ab Augusto vsq; principe omnem ætatem cõplectatur animo, cum scilicet Romanorum potẽtia ad vnius est arbitrium deuoluta, ne annis quidem illis circiter ducentis (tot enim fermè ad Marci tẽpora numerãtur) aut imperiorũ tam diuersas successiones reperiet, aut bellorum vel ciuilium vel externorũ tam varios casus atq; euẽtus, insuper tot excitas gentes, tot vrbes nostras Barbarásq; expugnatas, præterea terræ motus, & pestilentias, vitas quoq; principum & tyrãnorum adeò nouas atq; inauditas, vt nulla ijs apud veteres cõsimilia exẽpla, aut certe quàm paucissima inueniantur, quorũ alij diuturnã, alij breuẽ potẽtiã obtinuerunt, nõnulli autẽ vixdum inito honore, imperatorésq; duntaxat appellati, eodem illo quo susceperant die imperium amiserunt. Nam cum sexaginta annis plures quàm pro tẽpore principes vrbs Roma pertulerit, factum ex eo est, vti multæ sanè variæq; res, atq; admiratiõe dignæ exorirẽtur. Quippe ætate prouecti principes, vtpote rerũ negociorúmq; periti, diligentius sese suósque regebant: contrà adulescentes molliter atq; indulgẽter habiti, noua scilicet permulta designabãt. Quo factum est, vt dispari ætate atq; licentia, disparia quoq; studia morésque sequerentur. Hæc quemadmodum gesta sint, tẽporum ipsorũ atq; principum seruato ordine perscribemus.

Diuersa principum studia.

Marcus imperator.

i IMperator Marcus filias quidem suscepit cõplures, mares autẽ duos. horũ alter natu minor adulescẽtulus admodum fato est fun-

ctus. Verissimo nomen fuit. Alterum vero Cõmodum nomine magna diligentia curáq; pater educauit, accitis vndiq; viris doctrina claris, maximáque proposita mercede, vti mores pro se quisq; filij ingeniúmq; excolerent. Filias porrò cum adoleuissent, optimis ex ordine senatorio viris collocauit. Neq; enim qui longam generis seriem præferrent, aut qui opes nimias ostentarent, sed qui morum probitate, atq; modestia, vitæq; innocentia præcellerent, eos sibi generos deligendos putabat. Hæc enim sola animi bona certa esse stabiliáq; ducebat. Virtutem nullam non magnopere exercuit. Adeò literarum antiquitatis studiosus, vt nemini sit in eo genere Græcorum Romanorúmque secundus. Argumento sunt permulta quæ ab illo dicta atque conscripta ad nos vsq; peruenerunt. Adeò vero ciuilem sese, & commodum omnibus principem præstabat, vt adeuntiũ cuiuis dexteram placide daret, neminémq; à suis custodibus prohiberi aditu pateretur: solúsq; imperatorum sapientiæ studium non verbis, aut decretorum sciẽtia, sed grauitate morum, vitæq; continentia vsurpauit. Quo factum est, vt magnum sapientium virorum prouentũ ætas illa extulerit. SOLENT ENIM PLERVNQVE HOMINES VITAM PRINCIPIS AEMVLARI. Quæcunq; igitur ab illo modestè atq; fortiter domi forisque sunt gesta, quaséмque porrò se aduersus Barbaras nationes Septentrioni subiectas soliq; oriẽti gesserit, ea sunt multorũ doctissimorúmq; hominum comprehensa monimentis.

Paterna sedulitas Marci.

Institutio Commodi.

Certa & stabilia animi bona.

Ciuilitas Marci.

Sententia.

Quæ vero post Marci obitum per vniuersam ætatẽ visa mihi auditáq; sunt, nonnulla item in experiũdo cognita, vtpote in publicis officijs principalibúsque versato, ea nunc conscribenda suscepi.

Quam vitam exegerit Herodianus.

Enem iam Marcum, neq; ætate solum, sed
s *laboribus multis curisq; cõfectũ, dũ in Pannonijs ageret, grauissimus repente perculit morbus. Quare cum deploratã planè salutẽ suã sentiret, anxius videlicet agebat, ne filius, qui tum primã inierat adulescentiam, siue ætatis feruore nimio, siue licentia quadam summa, quam in orbitate esset habiturus, bonis artibus studiisq; relictis, ebrietati sese & crapulæ dederet:* QVIPPE FACILÈ INGENIA ADVLESCENTIVM À RECTA HONESTÁQVE DISCIPLINA AD LVXVM VOLVPTATÉSQVE DELABVNTVR. *Terrebat insuper hominem minime imperitum, multorũ memoria principum, qui iuuenes imperium suscepissent, vt Dionysij Siciliæ tyranni, cuius tãta fuit intẽperantia victus, vt nouarum voluptatum inuentores summis afficeret præmijs. Vt item eorũ qui Alexãdro successerunt. Ita enim contumeliose violentérq; dominati sunt, vt illius imperio graue dedecus conciliarint. Siquidem Ptolemæus eo turpitudinis prolapsus est, vt cõtra Macedonũ, atq; adeò Græcorum omnium leges, etiã sororijs amoribus implicaretur. Antigonus autẽ, quò Liberum patrẽ repræsentaret, pro causia & diademate Macedonico hederam capiti circũndare, thyr-*

Ingenia adulescentium.

Ptolemæus.

Antigonus.

ſúmq; pro ſceptro geſtare eſt ſolitus. Solicitabāt animū ſenis recentia quoq; exēpla, vt Neronis ipſius, qui ne à materna quidem cæde abſtinuerit, & ſe ridiculum populo ſpectaculum præbuerit. Vt item Domitiani, qui nihil ſibi ad extremam crudelitatem reliqui fecerit. Has igitur tyrannidum imagines cum animo volutans, inter ſpem metúmque agitabatur. Terrebat præterea illum Germaniæ vicina gens, quam nōdum planè ſubiecerat, ſed partim in ſocietatem adſciuerat, alios armis bellóque edomuerat. Nōnulli etiā ex ijs effugerant, metúque principis in præſens continebantur. Quare dubitabat ne deſpecta mox filij ætate arma reſumerent: quippe Barbaris mos quanlibet leuibus momētis aut cauſis impelli. His igitur curarū fluctibus æſtuans, amicos propinquóſque omnes quotquot aderant, cōuocari iubet. Qui poſtquā cōuenerūt, conſtituto in eorū cōſpectu adoleſcēte filio, paululūq; ſe è grabato ſubleuās, huiuſcemodi habuit orationem.

Nero.

Domitianus.

Barbarorum mores.

CONCIO REGIS MARCI.

Dolere vos atq; angi cū ita me affectum cōtēplamini, minime mirādum. QVIPPE HVMANVM eſt humanis caſibus ingemiſcere: multóq; magis miſericordiā prouocāt quæ oculis vſurpam⁹. Cæterū, peculiaris vobiſcū noſtra ratio eſt. Nam de mei erga vos animi conſciētia mutuā ſpero à vobis quaſi meo iure beneuolentiam. Nunc autem illud incidit, cum & mihi ſit iudicium faciundum, fruſtra ne vobis honorem tamdiu habuerim, ſtudiúmque omne meum lubens detulerim, & vobis referenda gratia

Beneuolentiā ab officijs repetit.

Adulescentiæ instituendæ ratio ex Platonis sententia.

ostendendum, non esse eorum quæ acceperitis, immemores. Videtis filium quẽ ipsimet educastis, primas nunc adolescentiæ metas ingredientem, quasique in salo atque in fluctu vitæ gubernatoribus indigentẽ, ne rerum imperitia de recto quasi cursu ablatus, malis artibus impingat. Este igitur vos illi pro me vno multi parentes, excolendo scilicet, atque optima suggerẽdo. Neque enim aut pecuniæ vis, tyrannidis luxuriã explere, aut stipantia satellitum agmina tueri principem possunt, nisi illi ipsi quos regas, animum imperanti beneuolentiámq; accommodent. QVIPPE II DEMVM DIV TVTO'QVE IMPERANT, qui non metũ ex crudelitate, sed amorem ex bonitate ciuium suorum animis instillãt. Neq; enim quos seruire necessitas coegit, sed quos obtẽperare sua quẽq; voluntas adegit, ij sunt in agendo patiẽdóq; à suspicione omni assentationéq; vacui, nunquámq; imperia detrectant nisi violenter contumelioséq; sint habiti. EST AVTEM DIFFICILE IN MAXIMA LICENTIA MODERARI SIBI, QVASI'QVE FRENOS IMPONERE CVPIDITATIBVS. Quòd si bene viuẽdi authores illi fueritis, & quæ nũc corã audit, idẽtidẽ admonueritis, vna opera et ipsum vobis reliquisq; omnibus optimum principem reddetis, & memoriam nostrã demerebimini: quam scilicet immortalem hac vna ratione poteritis efficere. Talia dicentem Marcũ ita repente animus defecit, vt statim conticesceret, ac languo-

ἐπιφώνημα. Diuturnũ imperium, quod amore regitur.

Elegans sententia. Licentia omnes deteriores esse.

re nimio supinus in lectulum relaberetur. Tanta autem quicunque aderant miseratio inuasit, vt ex ijs nonnulli præ dolore parũ animi compotes clamorem extollerent. Sed ille cum diem vnũ duntaxat noctémque superuixisset, fato est functus, sic vt magnũ sui desyderium eius ætatis mortalibus, posteris vero etiã virtutis memoriam reliquerit sempiternã. Postquã vero illius mortem fama vulgauit, incredibilis repente exercitum ipsum plebémque adeò omnẽ luctus occupauit. Neque vlli sanè Romanæ ditionis mortales fuerũt, qui non eiuscemodi nunciũ multis lachrymis exceperint: omnésque eũ velut vna voce alij parentẽ probum, alij bonũ imperatorẽ, quidã fortissimũ ducẽ, nõnulli etiã cõtinentem moderatúmque principẽ vocitabant. Neque sanè quisquam falsus habebatur. Paucis autẽ pòst diebus, celebrato iã funere visum amicis est adulescentẽ adducere ad exercitũ, vt & milites alloqueretur, & (qui nouis imperatoribus mos est) pecunijs elargiẽdis velut authoramẽto quodã illorum sibi animos adiũgeret. Edictũ itaque õnibus vt in cãpũ de more adessent freqũetes. Cũ itaque processisset Cõmodus, ac rẽ diuinã fecisset, erectúmque ad hoc ipsum medijs castris tribunal conscẽdisset, paternis amicis, qui multi sanè doctissimique viri aderant, circunstantibus, ad hunc fermè modum verba fecit.

Moritur Marcus.

Desyderiũ sui cum laude posteris reliquere.

CONCIO COMMODI.

Communẽ mihi esse vobiscũ huius mœrorem calamitatis, neque vos aliterquàm me ipsum affectos esse, planissime persuasum habeo. Neque

enim ego superstite parente ipso meo, superiorem me vobis vnquam gessi. Nam ille ita nos vniuersos, vt vnum aliquem diligebat: lubentiúsq; me commilitonẽ quàm filiũ vocitabat. Quippe hãc naturæ appellationẽ, illã vero virtutis cõmunicationẽ existimabat. Quin infantẽ sæpe me in vlnis gestans, vobis dabat in manus, quasiq; vestræ mãdabat fidei. Quapropter minime dubito quin mihi omnem sitis beneuolẽtiam exhibituri: cum pro alumno me maiores natu habere debeant: ipsos autẽ æquales, condiscipulos armorũ iure appellauerim: siquidẽ ita nos vniuerlos, vt vnũ aliquem pater diligebat, omniq; virtutũ studio, ac bonis artibus curabat instituẽdos. Nunc me post illum vobis fortuna principem dedit, nõ quidem adscititiũ, quales ante me fuerũt: neq; velut acquisito imperio gloriantem. Quippe vnus ego vobis natus educatúsq; in aula: priuatisq; intactũ cunabulis, statim me vt ex aluo prodierã, imperatoria purpura suscepit: simulq; Sol hominẽ me vidit, et principem. Hæc cum animis vestris reputãtes, iure principem colite non datum vobis, sed natum. Nam pater quidem iã in cœlum euectus, consors est consessorq; deorum. Nobis autem orbis terrarũ gubernacula, rerúmq; humanarum cura incumbit. Quæ quos successus, quãtásq; habituræ sint vires, in vestra manu est. Si enim belli reliquias fortiter deleueritis, & imperij Romani terminos ad Oceanũ vsq; promoueritis: cũ ipsi vobis ingẽtem gloriam comparabitis, tũ cõmunis parẽtis memoriæ debitam gratiam referetis. Atq; eum quidem exaudire

quæ dicimus, & intueri præsentem quæ gerimus, credite. Nos aũt felicissimos, qui benefactorum nostrorum testem eiusmodi simus habituri. Quæ igitur ad hanc diem fortissime prosperriméq; gessistis, illius scilicet sapientiæ gubernationiq; tribuũtur. Quæ aũt mecum, hoc est cũ iuuene imperatore vestro præclare feceritis, ea sunt vobis ipsis quasi peculiarem cum fidei tum virtutis claritudinem paritura. Quocirca & ætati meæ rebus strenue gerendis authoritatẽ cõciliabitis, & barbara gẽs initio noui principatus repressa, neq; in præsens contemptu ætatis nostræ se efferet audacius, & suis nũc edocta periculis, metu deinceps perpetuo coercebitur. His dictis pecuniam magna copia elargitus, vt sibi animos militum fidos faceret, in aulam reuersus est. Igitur breue sanè ad tẽpus omnia paternis amicis authoribus gerebantur: qui assiduitate, prudentiáq; consilio nullo loco deerãt, tantum ei tribuentes laxamenti, quantum satis esse ad tuendam corporis valetudinem arbitrabantur. Paulatim deinceps irrepsere nonnulli ex aulico famulitio, qui sibi ad corrumpendam iuuenis imperatoris indolem nihil facerent reliqui. Quippe mensarij adulatores, qui vẽtre atq; obscœnis voluptatibus felicitatem metiebantur, identidem illum vrbis deliciarum admonebant, & nunc quæ illic visu auditúque iucunda forent, cõmemorabant, nunc rerum omnium copiam atq; affluentiã ferebant laudibus. Ad hæc, ripas Histri, vt omni tẽpore incõmodas vituperabãt, quæ neque pomiferos haberent frutices, & perpetuis

Amicorũ studia in prĩcipẽ Commodum.

Adulatorum pestis.

Mensarij adulatores, vulgò amatores ollæ

Ripæ Histri.

rigoribus nubibúsque obtinerentur. Nunquam ne, imperator, aiebant, concretam gelu, atque effossam potare aquam desines, alij calidis fontibus, riuorúmq; fluentiũ frigore, aurísq; & cœlo illo fruẽtur Italiæ peculiari? Tali scilicet illecebrarũ mẽtione facilè adulescẽtis animum voluptatum cupidinibus incenderũt. Itaq; statim conuocatis amicis, teneri se patriæ desyderio nõ dissimulauit, causas tamen tam repentinæ mutationis fateri veritus, solicitum se aiebat esse ne quis opulẽs ex nobilitate domũ occuparet principis. Dein collectis viribus, quasi ex munitissima arce summã sibi rerum vindicaret, posse ex populo satis magnam vim delectorum iuuenum conflari. Talia causante illo, reliquis metu defixis, terrámq; tacito vultu mœstóq; intuentibus, surgens Pompeianus, qui et ætate reliquos anteibat, & Commodi sororem natu maximã in matrimonium habebat, Teneri te, inquit, o fili & domine, patriæ desyderio, minime mirandum. Quippe eadem nos quoq; rerum domesticarum cupido solicitat: sed ei tamen resistimus, quoniam priores partes agunt, magísq; incumbunt nobis quæ hic expedienda supersunt. Nam illis quidem vel in posterũ diutius perfrueris. ROMA AVTEM ILLIC EST, VBI IMPERATOR EST. Cæterum bellum relinquere inchoatũ, prӕterquam quòd indecorum videtur, etiam periculosum est. Quippe audaciam Barbaris inijcimus. neq; enim remeandi cupiditate decessisse nos, sed aufugisse metu perculsos arbitrabuntur. Tibi autem quàm fuerit

Adulescentiũ animos voluptatibus facile impingi.

Oratio Pompeiani potiora suadentis.

Prouerbium.

pulchrum deuictis hostibus, atque imperij finibus ad Oceanum vsque propagatis, redire in vrbem triumphanti, victósque & captiuos præteragenti reges satrapásque Barbaros. his enim artibus prioribus seculis Romani homines magni atque illustres euaserunt. Nihil est autem quod vereare ne qua illic res tuæ periclitentur. Nam et optimus quisque senator tecum hic est, & exercitus vniuersus tuum coràm propugnat imperium. Quin ærarium quoque principalis pecuniæ nobiscum est omne. Ad hæc, patris tui memoria æternam tibi apud potestates quaslibet fidem atque beneuolentiã roborauit. Cum ad hunc modũ potiora suadens Pompeianus locutus esset, paulum modo in præsens conatus adulescẽtis repressit, qui reueritus senis dicta, cum nihil haberet quod saltem honestum specie responderet, concilium dimisit, diligentius affirmans consyderaturum. Dein vero ministris illius magis magísque instantibus, nihil iam ad amicos retulit, sed datis Romam literis, ac prępositis quos visum esset tuendæ Histri ripæ, & Barbarorum insultibus coercendis, profectionem continue edicit. Illi igitur demandata sibi munia obeuntes, haud ita longo tempore multos armis Barbaros subegerunt, quosdam autem ex ijs magnis præmijs in amicitiam sibi adiunxerunt. Quod quidem haud difficile factu fuit. Quippe Barbari suapte natura pecuniæ auidi, periculorum despicientes, aut incursibus populationibúsque victum parant, aut proposita mercede venalem

Belli gloria Romani illustres euaserunt.

Verecundia principis in Pompeianũ.

Priuata consilia in adulescẽtia præsertim non raro fallere.

Barbari pecuniæ auidi, periculorum despicientes.

pacem habent. Quod intelligens Commodus, vt pecunia, qua maxime abundabat, securitatem redimeret, nihil videlicet petentibus denegabat. Vbi autem dedita profectionis fama per exercitum est, ingens repente totis castris motus extitit, nullo non redire Romam cupiente, relictóque hostili solo vrbanas affectante delicias. Postea vero quàm fama ac nũcijs vulgatum est reuerti in vrbem principẽ, incredibilis vniuersam plebẽ lætitia peruagatur, spẽ sibi vnoquoque optimã de iuuenis imperatoris præsentia proponẽte, credẽtibúsq; vniuersis paternis eũ vestigijs perrecturũ. Sed ille festinatò iter faciẽs, et iuuenili quodã ardore omneis in medio vrbes curriculo pertransiens, regióq; cultu, lætisq; populorũ celebritatibus exceptus, gratus nimirũ omnibus atq; optatus adueniebat. Sed vbi Romã appropinquauit, senatus statim vniuersus, populúsq; Romanus magno pro se quisq; anteuertendi studio effusi, laureatiq;, ac flores oifariam, quos dabat anni tempus, cõferẽtes, quàm quisq; ab vrbe longissime poterat occurrebãt visuri principem ætate atq; nobilitate conspicuũ. Quippe amabãt illum, et quidem verissimis affectibus, natũ apud ipsos educatũq;, tertióq; iã gradu imperiũ nobilitatẽque Romanã complectentẽ. Nam paternũ ei genus à primoribus senatorij ordinis: mater autem Faustina, principis vxor, Antonini pij filia, Hadriani etiã per matrẽ neptis, seriem ipsam generis ad Troianũ proauum referebat. Hoc editus genere Cõmodus est. cui quidem præter ætatis florem, etiam formæ dignitatis

Aemulantur principis mores milites.

Romani effusi laureatiq; principi Commodo occurrunt.

Amor plebis in principem.

Faustina mater Cõmodi.

suffragabatur congruens corporis modus, pulchra viriliſq; facies, trãquillæ faces oculis, atq; micãtes, flaua & criſpa cæſaries, vt in ſole ambulanti velut igne quodam rutilaret, ſic vt euntem quidam ſcobe aurea putarent conſpergi, quidam etiã pro argumento diuinitatis acciperent, ac radios eſſe illos circa verticem genitiuos opinarẽtur. Ad hæc, lanugo malis proſerpebat, eáſq; quaſi floribus cõueſtiebat. Talem igitur imperatorem fauſtis ominibus, acclamationibúſq;, & coronarum florúmq; ſparſionibus exceperunt. Sed poſt quàm vrbem ingreſſus eſt, Iouiſq; primum, dein cæterorum deorum templa conſalutauit, gratiáſq; ſenatui vniuerſo, & prætorianis militibus egit ſeruatæ ſibi fidei, in aulam palatinam ſe recepit. Pauculis igitur annis nihil non honoris paternis amicis exhibebat, omnibúſq; eos negocijs in conſilio habebat. Cura dein totius imperij alijs demandata, Perennium Italicum hominẽ militaris diſciplinæ peritiſſimũ, prætorianis præfecit. Is aduleſcẽtis ætate abutens, delicijs illum ganeiſq; corrũpi ſinebat: curáq; omni, laboribúſq; ſuſceptis, totum planè imperiũ adminiſtrabat. Erat in homine inexhauſta diuitiarum ſitis, ſic vt nihili quæ acquiſierat pendens, nouis ſemper lucris inſatiabilis inhiaret. Hic & paternos Commodi amicos calumnijs premere, & locupletiſſimum quenq; nobiliſſimúmq; in ſuſpicionẽ adducere inſtitit, ſcilicet vt perterrefacto aduleſcente, atq; illis ſupplicio affectis, cauſam poteſtatémq; ipſe haberet in eorum bona & fortunas inuadendi. Cæterum, aliquandiu cum patris memoria,

Religio principis.

Perennius præfectus militum.

Perennij ingenium.

tum amicorum reuerētia continuit adulescentē. Dein uelut maligna quædam atq; inuida Fortuna rectum adhuc moderatúmq; illius ingenium subuertit. Nam ita res accidit. Lucilla erat Commodo maxima natu soror. ea prius Lucio Vero imperatori nupserat, quem cōsortē sibi imperij Marcus adsciuerat, locatáq; in matrimonium sorore, firmissimo affinitatis vinculo adstrinxerat. sed postquam L. Verus fato functus est manētibus adhuc Lucillæ principatus insignibus, Pōpeiano eam pater despondit: nihilo tamen secius pristinum illi honorē Commodus reliquit vsurpandum. Nam & sella imperatoria sessitare in theatro, & ignē de more præferri patiebatur. Postea vero quàm Cōmodus vxorē duxit Crispinam, ac necesse fuit principis vxori primo loco cedere, iniquo scilicet hoc animo Lucilla ferēs, atq; illius honorē in suam cōtumeliam vertens, cum sciret à viro suo Pompeiano Commodum diligi, minime ausa est quippiā ad ipsum super occupando imperio referre: sed animū Quadrati nobilissimi locupletissimiq; adulescentis periclitata, cum quo etiam stupri consuetudinē habere existimabatur, grauissiméq; apud eum de accepta iniuria cōquesta, paulatim adulescētem eo pepulit, vt in semet vniuersúmque senatum perniciosissimè consuleret. Quippe inter cæteros senatorij ordinis qui secum in id facinus conspirarent, etiam adulescentem quēdam Quintianum nomine, prompti atq; audacis animi sibi adiunxit, persuasitque vti pugionem in sinu cælans tempus locúmque caperet, factóque repente impetu

Inuida fortuna prīcipis ingenium subuertit.

Lucilla soror Commodi.

Crispina vxor Commodi.

Liuius: Omne malum à fœmina ortum.

Quintianus prompti audacisq; animi adulescens.

Commodum occideret: reliqua se pecunijs largiendis curaturũ. Ille in aditu amphitheatri subsistẽs (quippe obscuro loco facilè se occultum sperabat fore) nudato cõfestim pugione, ac magna voce proclamans, Hunc tibi senatus mittit. dum loquitur, nudúmque ostentat pugionem, comprehensus à militibus, pœnas amentiæ dedit, suóque indicio author à se cauendi fuit, aperto magis quàm impleto consilio. Hæc igitur prima maximáq; odij causa adulescenti aduersus senatum extitit. Ita nanque animum verba illa sauciarant, vt omnes hostium loco haberet, sempérque eius memoriæ vox illa irruentis in se iuuenis inhæreret. Neq; vero tantam hanc occasionẽ Perennius omisit, sed ei persuasit vt præcipuum quemq; succideret, neq; eminere quempiam pateretur: quorum ipse in bona impetum faciens, facilè omnium eius ætatis hominum locupletissimus euasit. Quæstiones autem Perennio diligenter exercente, soror ipsa Commodi, coniuratíq; omnes, cæteríq; præterea quantulacunq; suspicione attacti, supplicio affecti sunt. Igitur Perennius sublatis è medio quos imperator verebatur, quíq; illum paterno quodam affectu complectebantur, atque ipse illius tuendæ salutis cura suscepta, nihilque non authoritatis adeptus, imperium iam ipsum animo inuaserat: persuasóque Commodo vt suos liberos adulescentes adhuc Illyricis præficeret exercitibus, ipse pecuniæ vim ingentem contrahebat, vt scilicet prætorianos ab ipso amplissimis largitionibus abalienaret. Filijq; item eius clanculum copias collige-

Insidiæ principi per Quĩtianum parãtur.

Insidiarũ authores, cædisq; suspicione attacti omnes supplicio affecti sunt.

Dissimulata perfidia Perennij.

bant, eo consilio, vt cum primũ Perennius Cõmodum occidisset, ipsi principatum arriperẽt. Proditæ autem sunt insidiæ incredibili quodam modo. Ludos Romani Ioui Capitolino faciunt, tãta hominũ confluente multitudine, quantam par est confluere ad tantæ vrbis celebritatem. Spectare autẽ ac præsidere in theatro vnà cum sacerdotibus, quos ordo singulis annis postulat, etiam imperator solitus. Cum itaque nobilissimus scenicis operam daret sedens imperatoria sella Cõmodus, pleno spectatoribus theatro, suisq; cuique locis ad sedẽdum pro dignitate attributis, prius quàm quicquã diceretur ageretúrq; in scena, repente quidam philosophi habitu, manu baculum gestans, perámq; seminudus ab humero suspensus, curriculo prodijt, mediáque in scena consistens, manúq; silentium imperans, Non hoc, inquit, ludorum tempus o Cõmode, neq; spectaculis celebritatiq; vacandum. Imminet ceruicibus tuis Perennij gladius: ac, nisi caueris, non quidem impendens, sed iam præsens periculum peristi. Nam & ipse hic aduersus te copias pecuniámq; colligit, & nati exercitus Illyricos solicitãt: quos nisi statim præuenias, occidisti. His dictis, siue forte quadã diuinitus huc impellente, siue id ausо homine vt gloriam sibi ignarus atq; obscurus acquireret, seu quia speraret ingens aliquod præmium ab imperatore consequuturum, sanè illum derepente obstupefecerat. Cæteri autem etsi non de nihilo ea dicta suspicabãtur, tamen fidem habere dissimulabant. At Perennius comprehendi hominem iubet, ac pro furioso & vaniloquo igne comburi.

Insidiæ Perẽnij proditæ.

Philosophus personatus.

Consilium philosophi.

Ita scilicet pœnas dedit intempestiuæ libertatis. Cæterum, qui se Commodi studiosos videri volebāt, perosi antea quoque Perennium, vtpote intolerandæ hominem superbiæ cōtumeliæq;, nactiq; opportunū tempus, calumnijs eum premere aggrediūtur. Sed scilicet ita futurum erat, vt & Commodus insidias euitaret, & Perennius vnà cū liberis penderet pœnas. Quippe haud multo post milites quidam clàm Perennij filio nummos quosdam attulerūt illius imagine percussos, eósque, ignaro etiam Perennio, quanquam erat præfectus, Commodo ostenderunt: totóque insidiarum ordine patefacto, maximis sunt muneribus affecti. Quocirca inscio negocij totius Perennio, ac tum nihil minus expectāti submissi noctu à Commodo quidam caput absciderunt: iussiq; statim ad illius filium pergere, cum nihil ad celeritatem sibi reliqui fecissent, etiā rumores famámque eorum quæ Romæ facta essent, præuenerūt. Ii amicas ei literas ab imperatore reddiderunt, quæ magna proposita spe Romam reuerti iubebant. Ergo & consiliorum, & omnis eius paratus, postremo paterni casus ignarus, cum quidam nuncij dictitarēt etiam paternis ipsum verbis acciri, qui ne ipse quidem scribere supersedisset nisi satis momenti habituras imperatorias literas existimasset, credidit videlicet adulescens: & quamuis iniquo animo ferret interpellari sua consilia, tamen paterna fretus potētia, quam esse adhuc incolumem putabat, ad reditum se comparat. Tum deinde vt attigit Italiam, per eos quibus negocium datum fuerat, occiditur. Hunc illi

Intēpestiuam libertatem periculum comitatur.

Perennio caput abscissum

Perēnij filius occiditur.

Duo præfecti exercitus constituti.

exitum habuerunt. Post hæc Commodus duos constituit præfectos, tutius fore ratus tantam illam potestatem non vni duntaxat credere, sed dissectam in partes, imbecilliorem eo pacto contra principem reddere. Verum haud longe post aliæ in illum huiuscemodi insidiæ intẽduntur. Maternus erat quidam miles multa ausus nefaria. Is repente desertis castris, atque aliquot in societatem commilitonibus adscitis, magnam perditorum manum breui collegerat, vicósque primo & agros populabatur: magna dein pecuniæ vi collecta plures quotidie sibi ex facinorosis copulabat, pollicénsque ingentia cuique operæ precia, & in prædæ communionem inuitans, eo rem adduxit, vt non iam latronum, sed iustorum hostium haberent authoritatem. Quippe magnas etiam vrbes occupabant, effractísque per vim carceribus captiuos sine discrimine omnes vinculis eximebant, eósque sibi impunitate ac beneficijs adiungebant. Igitur Galliam omnem atque Hispaniam incursibus vastabant, & vt quanque ex magnis vrbibus vi ceperant, incensa direptáque protinus abibant. Quæ vbi Commodus cognouit, rectoribus gentium plenas iræ atque minarum mittit epistolas, castigans, & ignauiam exprobrans, simul comparare aduersus illos exercitum imperans. Quod vbi latrones acceperunt, decedendum sibi ex illis regionibus rati, clàm per auia quædam compendia seorsum alij ab alijs in Italiam peruenerunt, ac iam de regno maioribúsque rebus Maternus cum suis deliberabat. Nam quando hactenus omnia illi spe vlterius

Materni militis audax facinus.

Criminatio Commodi in gentium rectores.

processerant: aut aliquid magnum inuadendum sibi existimabat, aut certe, quando in id discriminis inciderat, non obscure neque ignaue moriendum. Sed quoniam se non tantis esse viribus intelligebat, quantæ ad resistendum Commodo collata acie satis essent, (quippe & Romanæ plebis, & prætorianorũ militum propensa in Commodum voluntas credebatur) arte sibi consilióque grassandum statuebat. Quocirca tale quiddam comminiscitur. Veris initio, stato solenniq; die pompam matri deûm Romani celebrant. In ea quæ apud quenque sunt diuitiarum præcipua, supelléxque pleraque imperatoria materiæ aut artis spectandæ, præferri ante deam solent: passimque omnibus ludendi licentia permissa, sic vt personas induant quas cuique libitum: nullámque non magistratuum quoque imaginem, prout cuiusque studium, repræsentent, sic vt non temere à falsis veros dignoscas. Putauit hoc Maternus idoneum celandis insidijs tempus, ratus fore vt si personam stipatoris alicuius indueret, suósque ad eandem similitudinem armis ornaret, ac se hastatis immiscerent, sic vt pars esse comitatus imperatorij crederẽtur: nullo videlicet præcauente, repente impetu facto Commodum obtruncarent. Sed proditus imperatori à socijs quibusdam qui vnà cum ipso venerant in vrbem, (indignãtibus scilicet, siquidem eum non pro latrone iam, sed pro principe habituri forent) antequam festus dies adesset, & ipse comprehensus, ac multatus capite: & qui eiusdem factionis erant, meritis supplicijs affecti.

Necessitas addit animos

Mater deorũ.

Occasio insidiandi.

Proditus Maternus.

Maternus capite multatus.

At Commodus facta re diuina, gratulatúsque deæ festum agitabat, pompámque gaudens frequentabat. Sed & populus omnis pro imperatoris salute diem lætabundus celebrabat. Quæ autem ratio sit cur huic deæ tãtum honorem Romani habeant, non alienum videtur, quantum ex historia accepimus, commemorare: præsertim cum ea res plerisque Græcorum ignota esse videatur. Ipsum igitur simulacrũ cœlitus, vt aiunt, demissum, neque qua sit materia, nec à quo fabricatum artifice, satis constat: neque planè hominum manibus creditur factum. Hoc igitur decidisse cœlitus ferunt in quendam Phrygiæ agrum, cui nomen Pesinunti à casu eius simulacri factum putant. Ibi enim à principio comparuisse: licet apud alios comperiam pugnã illic Ilum Phryga, Tantalúmque Lydum inter se conseruisse, siue de via ortam, siue potius ob raptum Ganymedis: cúmque diu æquis viribus decertatum foret, ac permulti vtrinque cecidissent, nomen ex ea clade loco esse impositũ. Hic etiam fama fert Ganymedem ipsum trahentibus in diuersa Germani atque amatoris manibus, vita esse orbatum: sublatúmque è medio, pro calamitatis solatio relata ad Iouem raptorem fabula, diuinis fuisse honoribus affectum. In hoc quem diximus Pesinunte Phryges olim Orgia colebant ad ipsum fluuium Gallum, à quo etiam euirati deæ sacerdotes cognominantur. Sed vbi res Romana creuit, responso accepto mansurũ imperium, atque ad summã auctum iri si Pesinuntiam deam ad se transferrent, missi in Phrygiã legati sunt petitum deæ simulacrum.

Excursus de honore Pesinuntiæ deæ.

Fabula.

Ganymedes Iouis pincerna.

Orgia Liberi patris sacra à furore sic dicta.

Pesinuntia dea.

quod quidem facilè concessum est, consanguineos se di Ɛtātibus, atq; oriundos ab Ænea Phryge. Cū itaq; nauigio deuectum simulacrum ad ipsas Tyberis fauces appulisset, quibus tum Romani vice portuum vtebantur, confestim diuina quadam vi nauigium substitit, neq; vllis Romani populi certatim trahentis moueri viribus potuit, donec Vestalis sacerdos adesset. Ea cum virginitatem perpetuò seruandam polluisse falsò argueretur, damnationem metuens, supplex petijt à populo vt iudicium de se deæ Pesinuntiæ committeret. quo impetrato zonam recinxit, clarè precata, vt si intemeratam se esse ac virginem dea sciret, nauim progredi iuberet. Quæ vbi dixit, statim alligatā zonam manu ducta nauis sequi cœpit. Ita sunt pariter Romani manifestam numinis diuinitatem, atq; innocentiam virginis admirati. Sed hæc hactenus de Pesinuntia dea, prolixius etiā fortasse quàm decuit, haud insuauem tamen scientiam allatura ijs qui res Romanas minus cognitas habeant. Commodus autem euitatis Materni insidijs, maiore se custodia muniebat. Rarus prodire in publicū, plerunq; temporis in suburbanis, aut in principalibus prædijs procul ab vrbe cōsumere, abstinere prorsus ab iurisdictione, omniq; actu imperatorio. Per idem tēpus accidit vt ingens Italiam quidem vniuersam pestilentia occuparet, sed in ciuitatem Romanā vehementius tamen sæuiret, vtpote quæ & per se populo abūdaret, & aduenas toto orbe confluentes exciperet. Quare magna iumentorū atq; hominum strages con-

Miraculum Pesinuntiæ deæ.

Damnatio Vestalis virginis.

Vestalis sacerdos virgo iudicatur.

secuta. Tum Commodus (ita scilicet quidam medicinæ periti persuaserant) Laurentũ secessit, quòd frigidior ea regio sit, siluisque è lauru permultis opaca, à quo etiam regioni inditum nomen. Valere enim plurimum aiebant ad aëris euitandam contagionem, cum odores laurorum, tum ipsarum amœnitatem vmbrarum. Quocirca in ipsa quoque vrbe de medicorũ sententia plerique vnguentis suauissimis nares atq; aures opplebant, suffitúque et odoramentis assidue vtebantur, quòd meatus sensuum (vt quidam dicunt) odoribus illis occupati neque admittant aëra tabificum, & si maxime admiserint, tamen eum maiore quasi vi longe superari. Cæterum nihilo secius morbus ingrauescere, hominésque passim, & pecora inter homines agitantia interire. Sed & fames eodem tẽpore ciuitatem oppresserat, hac de causa. Cleander erat quidam Phryx genere ex ea nota hominum, qui publice per præconem veneunt. Hic cum in domum imperatoriã seruitio esset traditus, & cum ipso Commodo accreuisset, eo scilicet honoris atque authoritatis prouectus est, vt et corporis custodiam, et cubiculi curam, præterea militum præfecturam solus obtineret. Cæterũ diuitię ac luxus etiam illum ad imperij spem instigabant. Quocirca grandi coacta pecunia plurimum frumenti coëmit. Id autem occlusum habebat, sperãs sibi Romani populi atq; exercitus voluntates adiuncturum, si prius rerum necessariarum penuria laborantes, magnis repẽte largitionibus demereretur. Idẽ gymnasium quoque maximum exædificauerat, publi-

Laurentum ciuitas Tatiũ regem sepultum habere apud se creditur, solis indigens.

Cleander Phryx.

Ocium, luxus, diuitiæ ad imperiũ homines stimulant. LIVIVS: Animus humanus insatiabilis eo quod fortuna spondet.

catis etiam balneis, vt eo modo populum inescaret. At Romani infensi iam pridem, ac totius causam pestilentiæ in eum conferentes, simul perosi hominem diuitijs inexplebilem, prius quidem confertim per theatra identidem traducebant, dein agente in suburbanis Cōmodo, repente vniuersi magnis clamoribus concurrerunt Cleandrum ad necem deposcentes. Cū autem suburbanum omne tumultu compleretur, & Commodus ipse in alto secessu voluptatibus indulgeret insciens quæ gererētur, (nā id Cleander cauerat) repente extra omnium expectationem armati equites principis eruperunt, Cleandri iussu proruentes obuium quenque, ac vulnerantes. Neque scilicet populus excipere illorum impetum valebat inermis armatorum, pedester equitum. Quare fuga facta in vrbem reijciuntur, ibique permulti, neque modo quos ferro milites conficiebant, neci dediti, sed quos etiam ipsi proculcauerunt equites, quique aut conferta turba, aut equitū incursu conflictabātur. Igitur ad vrbis portas sine vllo impedimento persecuti, magnā populi partem interfecerunt. Qui autem in vrbe remanserant, calamitate suorum intellecta, clausis domibus cum in tecta & culmina euasissent, lapidibus tegulisque equites desuper incessebant. Itaque statim conuersa fortuna est, nullo in manibus decertare auso, sed omni multitudine desuper quasi ex tuto dimicante. Quocirca saucij magna pars cum tolerare iam vlterius nequirent, terga fugæ mandarunt.

Cleander ciuile bellum concitauit.

Atrox cędes Ro. ciuium.

Ciuile bellū ex improuiso & incerto tumultu.

Multi itaque cadebant crebro telorum iactu, multi equis excutiebantur, inter deuolutos lapides fallente vestigio lapsantibus. Sed & pedites qui in vrbe stationes habebant, populo suppetias aduersus inuisos sibi equites raptim tulerunt. Itaq; cum ciuile bellum esset, nemo tamen quæ gererentur nunciare Commodo audebat metu Cleandri potentiæ: donec maxima natu soror Fadilla nomine, accurrens ad imperatorem (quippe facilis aditus sorori) crinibus solutis proiecta humi, ac planè in lugubrem habitū deformata, Tu quidem, inquit, o princeps, ociū agitans, & omniū quæ gerantur ignarus, extremo in periculo versaris. Nos autem, sanguis tuus, propemodum occidimus.

Actum, prouerbium in re desperata.

Actum de populo Romano, actum magna ex parte etiam de exercitu est: & quæ ne à Barbaris quidem nos passuros expectabamus, ea nobis domestici faciunt: & in quos maxima contulisti beneficia, eos primos inimicos habes. Cleander aduersus te populū & exercitum armauit: quorúmq; alteris inuisus est, alteris charus, vtrique tamē in armis sunt, cædémq; inter se patrant, & ciuili sanguine Romam replent. Sed in nos videlicet vtriusq; multitudinis recidet calamitas, nisi tu quàm primum neci dederis sceleratissimum famulum, qui tantæ cladis illis iam fuit, nobis mox futurus est author. Hæc loquens, vestē scidit: multiq; item qui aderant, sumpta de verbis mulieris audacia, Commodum territabāt. Is expauefactus, cum iam non vt impendens, sed vt præsens periculū formidaret, acciri ad se Cleandrum propere

iubet, nihil dū certi scientē, sed tamen aliquid suspectantem imperatori renunciatum. Accedentémque ad se imperat comprehendi, & caput eius amputatum, contóque præfixum circunferri, voluptuosum scilicet atque optatum populo spectaculum præbiturus. Ita id malum sedatum, atque vtrinque dimicatio dirempta. Siquidem milites cum occisum viderent pro quo decertabant, iram quoque imperatoris formidabant, cui verba data, nihilque non factum contra illius sententiam compererant. Populus contrà satisfactum sibi authoris supplicio putabat. Sed & liberi Cleandri (binos enim virilis sexus habebat) & quotquot illius amici fuerāt, ad vnum omnes contrucidati, tractáque per vrbē cadauera, & cōtumeliosissime habita, postremo in cloacas abiecta. Hæc finis Cleandri fatorum fuit, quasi in vno illo velut ambitiosius ostentaret natura (vt sic dixerim) humana, posse ex infimo loco ad supremum fastigium euehi hominem, atque euectum dein rursum deturbari quamlibet exiguo atque insperato fortunæ momento. Cæterum Commodus tametsi verebatur ne quid fortasse populus etiā contra se noui moliretur, tamen suadentibus amicis in vrbem reuersus est, ac lætis acclamationibus, magnóque comitatu exceptus, in aulam principalē se cōtulit. Enimuero ex illo, tot aditis iam periculis, cœpit nulli satis confidere, sed occidere hunc, atque illū, nulli non calumniæ fidem accommodans. Ad hæc, neminem cui virtus vlla esset, amicum sibi adiungebat, sed à cūctis æque rectis studijs animum auocauerat.

Caput Cleandro amputatum.

Exitium Cleandri gratū populo fuit spectaculum.

Cleandri filij duo contrucidati.

Cleandri ac filiorum corpora per vrbem tracta, postremo in cloacas abijciuntur.

Fortuna summa infimis, infima summis mutat.

Commodus à rectis studijs animum auocauit.

Seruitia voluptatis.

Quippe quem die noctéque aliæ ex alijs effrenæ corporis voluptates grauissimo seruitio premebant, neminémque non ab limine velut insidiatorem summouebat quemcunque antè probitas aut disciplina vlla etiam mediocris illustraret. Scurrę vero, & qui turpissima quæque repræsentabant, quasi addictum sibi habebant. Aurigando etiã bestiisque conficiendis supra modum exercebatur. Ob quæ studia adulatores eum fortitudinis gloria celebrabant. quare illa minus decore tractabat, quàm modesto principi conueniebat. Extitere ea tempestate etiam quædam in cœlo prodigia. Stellæ enim per diem perpetuò apparuerunt, quædámque ex ijs in longum productæ medio quasi aëre suspensæ videbantur. Præterea animalia omne genus, minime suam naturam seruantia, cum figura corporis prodigiosa, tum membris haudquaquã congruentibus edebantur. Maximum autem nefas cum in præsens dolorem attulit, tum in futurum pessimo augurio vniuersos conterruit. Nam cum neque imbres vlli, neque nubes, tantúmque exiguus terræ motus antecessisset, seu nocturni casu fulminis, siue igni aliquo in ipso terrarum motu velut extrito, totum de improuiso Pacis templum cõsumptum incendio est, quod vnum scilicet opus cunctorum tota vrbe maximum fuit atque pulcherrimum: idem templorum omnium opulentissimum, egregiéque munitũ, multóque ornatum auro et argento. Quippe vniuersi ferme suas illuc diuitias quasi in thesaurũ congerebãt: ideóque per noctem debacchatus ignis multos ex opu

Turpis laus quæ ab improbis datur.

Prodigia in coelo visa.

Pacis templũ incendio consumptum.

sentis egenos reddidit. Quapropter cōmunem quidē iacturam publicè omnes, suam autem quisque priuatim deplorabant. Sed vbi templum omne consumptū ignibus est, plurima quoq; & pulcherrima vrbis ædificia conflagrarūt. Inter quæ etiam Vestę templum, sic vt Palladium quoque consiceretur, quod in primis colunt, atq; in arcano habent Romani, Troia (vt perhibent) auectum, ac tum primū postquàm in Italiam deuenit, conspectum ab hominibus. Quippe raptum id Vestales virgines media Sacra via in aulā imperatoris trāstulerūt. Multę præterea pulcherrimæq; vrbis partes cōbustæ, plurimósq; dies peruagatum incendiū non prius sedatū est, quàm repentinis imbribus extingueretur. Itaq; totā rē dijs imputabāt eius ætatis mortales, quorū scilicet voluntate & inchoasse incendium, et desijsse arbitrabātur: ac portendi bella quæ sunt deinceps insecuta, consumpto Pacis templo interpretabātur. Quā deinceps famā rerum euentus cōprobauit. Enimuero plurimis maximísque incōmoditatibus laborāte ciuitate, nō iam vt antea multitudo beneuole Cōmodum aspicere, sed referre omnes eius calamitatis causam in illius iniustos actus, & reliqua vitę crimina. Siquidē neq; latebant populū scelera hominis, neq; latere ipse volebat, sed quæ domi non sine infamia patrabātur, ea etiā in publicū ostentare haud verebatur: eóq; vecordiæ petulantiæq; processit, vt paternū primo cognomen repudiaret, ac pro Commodo Marci filio Herculem se Iouis filium iusserit appellari, depositóq; principum

Vrbis pulcherrima ædificia flamma conflagrarunt. Palladium.

Sacra via, vbi nunc sanctæ Mariæ nouæ templum.

Calamitatem omnem rei aduersæ Commodi iniustis actibus Ro. acceptam ferebant.

Commodi vecordia.

Commodus Hercules dictus.

Romanorum cultu, leonis pellē substerneret, manúq; clauam gestaret, simul purpureas sibi, atq; auro intextas vestes circundaret, non sine omniū irrisione. quippe eodē schemate & fœminarū luxū, & heroum virtutē repræsentabat. Talē se videlicet quotidie præstabat. Idémq; mensium nomina demutauit, ac pro vetustis appellationibus nouas de suis cognominibus imposuit, quorū ad Herculē pleraq;, tanquam scilicet ad fortissimum, referebātur. Quin statuas quoq; sibi tota vrbe poni iussit, in'q; ijs vnam pro curia quæ arcum contenderet: vt etiā imagines ipsæ terrores atq; minas præ se ferrēt. quā dein tamē senatus post illius obitum sustulit, próq; ea libertatis imaginē reposuit. Cōmodus autē cū tēperare iam sibi vltra nō posset, publice spectacula edere professus, ōneis se sua manu feras occisurū pollicebatur, & cū fortissimis quibusq; iuuenū singulari certamine depugnaturū. Ea cū rumoribus celebrarētur, concurrebāt ex Italia omni ac finitimis gentibus vniuersi ad id spectaculum, quod nec antea oculis vsurpauerant, neq; vnquam fando audiuerant. Siquidem ita esse certa manus illius dicebatur, vt quodcūq; destinaret, iaculo sagittáue contingeret. Erātq; cum illo assidue Parthorum lectissimi sagittarij, ac Numidæ iaculatores: quos ille tamen omneis longe artificio superabat. Vbi autē spectaculi dies adfuit, pleno amphitheatro exædificatus Cōmodo peridromus fuerat, per quem decurrere in orbem posset, ne cōminus cum bestijs pugnās periclitaretur, sed superne ac de tuto loco tela iaciēdo iaculā-

Ornatus imperatorius in Cōmodo illiberalis & turpis.

Libertatis imago.

Monomachia imperatoris.

Solers Cōmodi industria.

Parthi, Assyriæ populi.

di potius scientiam, quàm fortitudinem ostentaret. Cervos igitur, & damas, item cornigera alia præter tauros, currens pariter ipse atq; insequēs impetebat, ac præventa fuga certissimis ictibus prosternebat. Leones vero, & pantheras, aliáq; id genus nobilissima animalia, currens in orbem superne iaculis confodiebat, sic vt nec telum quisquam secundum, nec vulnus viderit nisi letiferum. Nam vt primum se fera concitauerat, statim illam vel in frōte, vel in corde sauciabat, nullo præterea vsus scopo, neq; ad aliam corporis partē telo destinato, sic vt pariter cum vulnere ipso conficeretur. Cæterum, bestiæ cōquirebantur vndiq;: ac tum primum vidimus quæ antea in picturis mirabamur. Quippe ex India, Æthiopiáq;, itémque à meridie, & à septentrionibus quicquid incognitū prioribus seculis fuerat, confecit ille pariter atq; ostendit, nullo nō obstupefacto tam certa illa manu, támq; nusquam telis aberrantibus. Idem aliquando sagittas lunatæ cuspidis in Maurusias struthos intorquebat, quæ & pedum celeritate, & alarū quasi velis ocyssime ferebantur: sic vt summum contingeret collum, atque ita capita amputaret, vt exsectis ceruicibus (qui teli impetus fuerat) aliquandiu tamen viuētibus similem cursum continuarent. Quin & pantherā, quæ scilicet eductum quendam in arenam cursu acerrimo comprehenderat, sic vt iamiam laniatura videretur, ita opportuno vulnere consecutus est, vt interfecta belua hominem seruauerit, ac dentium quoq; aciem cuspide ipsa iaculi præueniret. Leones itē cauea cētū eductos,

Iaculandi scientia in Commodo.

Mira artis iaculandi securitas in Commodo.

totidem missilibus vniuersos occidit, ita suo ordine iacentibus corporibus, vt numerari facillime singula possent, nullo scilicet superuacuo incidēte telo. Hactenus igitur quæ gerebantur, quanuis à principe aliena viderētur, tamen quoniā fortitudinem scientiámque præ se ferrent, popularem quandam gratiam emerebantur. Verū vbi iam nudus ingressus amphitheatrū est, sumptisque armis numeros gladiatorios implebat, tum vero triste Romano populo spectaculum id visum, nobilissimum imperatorem post tam multos parentis sui maiorúmq; triumphos, nō quidem aduersus beluas arma capere militaria, vel Romanorum imperio congruētia, sed amplissimam dignitatē turpissimo fœdissimóque cultu contaminare. Facilè autem dimicans suos compares superabat: neq; tamen vltra vulnera procedebat, dante vnoquoque manus, atq; imperatorem potius quàm gladiatorem agnoscente. Eóque vesaniæ prouectus est, vt desererere principalem aulam, atq; in ludum gladiatorium migrare institueret: neque se amplius Herculem appellari patiebatur, adoptato nobilissimi gladiatoris nomine qui iā vita excessisset. Quin simulacro illi Colosseo, quod Romanis venerabile est, Solis effigiem gerens, capite dempto suum imposuit, atque in basi subscripsit non quos consuesset imperatorios paternósque titulos, sed pro Germanico, mille gladiatorum victorem. Cæterum, ipsum quoque desinere aliquando ab sua vecordia, & ciuitatem tyrannide liberari oportebat, idq; anno ineunte, quem diem Romani festum agunt ad Ianum vetu-

Inuerecūdum sed audax facinus Cōmodi

Gladiatorium certamen.

Colossus Solis effigies.

Ianus.

stissimum Italiæ deum referentes: cuius etiam Saturnum ipsum ab Ioue filio pulsum fuisse hospitem prædicant, & quòd ibi latuisset, nomen Latio inditum. Quocirca etiam nunc Romani Saturnalia prius, dein vero initium anni more suo concelebrant. Estq; eius dei biceps imago, vt à quo incipit, & in quem desinit annus. Cum igitur hunc diem festũ ciuitas agitaret, in quo Romani inuicem se colunt salutántque, & nomismata alter alteri cæteráque omnifariam munera missitant, summiq; magistratus conspicuam sibi & solennem purpuram induunt, vniuersis diem concelebrantibus: statuit Commodus non quidem ex imperatorijs (vt mos erat) ædibus, sed ex ipso gladiatorio ludo prodire in publicum, ac pro eleganti vestitu purpuráque imperatoria procedere armatus, deducente gladiatorum agmine, in conspectum Romani populi. Quod vbi consilium suum ad Martiam retulit, vnam è suis concubinis, cui scilicet plurimum deferebat, ac propè vxoris eam loco habebat, sic vt præter ignem omnes honores velut Augustæ tribuerẽtur: intellecto mulier tam absurdo turpiq; consilio, orare multis lachrymis, suppléxque ad genua accedere, ne aut Romanum imperium pollui pateretur, aut ipse vitam suam perditis ac deploratis hominibus tam periculose cõmitteret. Sed cum nihil profecisset, lachrymans discessit. Ille præfectum exercitibus Lætum nomine, & Electum cubiculi custodem, ad se accitos parare iubet in ludo ipso gladiatorio, quo se dormitũ recipiat, vt illinc ad sacrificandum mane procederet, ac se armatũ

Saturnalia.

Iani biceps imago.

Martia Cõmodi concubina.

Turpis vesania imperatoris Cõmodi.

Fœdus animus recti consilij impatiens.

Philyra arbor.

Pusio infans Commodo charissimus.

Fors fortuna.

Romano populo ostentaret. Illi multis precibus persuadere tentabant ne quid indignum principe conaretur. Quibus Commodus ira percitus, facessere ab se iussis, statim in cubiculũ reuersus, vt, quemadmodum consueuerat, meridiaretur, sumpto in manus libello quales de philyra tenuissimi, atq; in vtranq; partem replicabiles fiunt, cõscribit in eo quoscunq; illa nocte interficere destinauerat. Ex quibus prima erat Martia, mox Lætus atque Electus, post hos ingens eorum numerus qui plurimũ authoritatis in senatu obtinebant. siquidem senes vniuersos paternos amicos tollere è medio, ne censura illorũ sua interpellarẽtur flagitia, bonáq; ipsa diuitum dilargiri partim militibus, partim gladiatoribus decreuerat, vt alteri se defenderent, alteri oblectarẽt. Eum igitur libellum ita cõscriptum, supra lectulum deposuit, neminem ad se introiturum suspectans. Erat autem Pusio quidam infans adhuc, ex ea nota qui vestitu cætero nudi, sed auro gemmisq; ornati solent delicatissimo cuique Romanorum esse oblectamento. Is ita Commodo charus erat, vt cum illo sæpe etiam cubaret, ac Philocommodus appellaretur, ipso indicante nomine amorẽ principis. Hic itaq; puer forte ludibundus, occupato inter balnea & crapulas Cõmodo, cubiculũ (vt consueuerat) ingressus, sumpto in manus libello, qui cum lusitaret, foras processit. Ac forte quadam in Martiam incidit: quæ cum puerum etiam ipsa diligeret, cõplexa prius, atq; deosculata, libellum manu aufert, verita ne quid ob infantiam inscius puer rerum fortasse grauiorum

labefaceret. Agnita dein Cōmodi manu, ac legendi cupidine illecta, vbi funesta cōtineri, ac se primā peti intellexit, Lætúmque & Electum subsequi, tantámq; deinceps reliquorum futuram cædem, hæc secum ingemiscens consusurrabat. Euge Cōmode, hæccine præmia beneuolentiæ amorisq; sunt? Ita scilicet de te merui, cum tam multos annos cōtumelias ebrietatémq; tuā pertuli? Sed nequaquam tibi hæc ita successerint viro temulento aduersus sobriā mulierē. His dictis, Electū ad se arcessit, quem etiā ipsa aliquādo per se cōuenire, vtpote cubiculi custodē, solita, & cum eo quoq; stupri habuisse consuetudinē credebatur: traditóq; in manus libello, Vide, inquit, Electe cuiusmodi sumus hac nocte festū celebraturi. Is eo lecto expauefactus (erat autē Ægyptius genere, audax homo, ac promptus, & irasci facilis) statim signatū libellum per hominē sibi fidum Læto legēdum mittit. Qui item exterritus, ad Martiam cōtendit, simulans de ijs ire se cōsultatum, quæ ad cōcinnādum ex iussu principis ludum gladiatoriū pertinerent. Hoc igitur vsi prætextu cōstituunt aut faciendum sibi quàm primum, aut patiendum aliquid: nullum moræ locū, nullum procrastinationi esse. Placitum autē est rem veneno agi: quod se facilè daturā Martia recepit. Quippe solita primum illi miscere atq; offerre poculum, vt ab amica porrectum suauius biberetur. Igitur redeunti ex balneis cōmixtum vino odoratissimo venenū in calice obtulit. Ille diu lauādo venandóq; collecta siti, veluti de more propinatum sibi temere interbibit. Quare statim capitis grauedi-

Ad istum modū astutissima consilia sæpe fallunt.

Oratio plena affect⁹ & querimoniæ cum detestatione īgratitudinis.

Anceps in re dubia cōsiliū.

Veneno vinū mixtū Cōmodo offert martia.

ne occupatus, atq; in soporẽ prolapsus, cum id ex labore accidisse opinaretur, quieti se tradidit. Electus autẽ & Martia recedere omnes cõfestim, & suã quẽq; domum reuerti iubent, ne somni indigum Cõmodum expergefacerent. Id autẽ aliàs quoq; ex ebrietate nimia facere consueuerat. nam cũ vel balneis vel epulis operã daret, nullum scilicet habebat præstitutum quieti tẽpus. ETENIM aliæ ex alijs voluptates, eæque inter se maxime diuersæ, seruire sibi hominem etiam inuitũ quocunq; tẽpore subigebant. Pauxillum igitur cũ requiesset, ac iam se ad stomachum & aluum veneni vis insinuasset, oborta vertigine vomitus & quidem affatim consecutus est, siue ipso cibo, quem largiter ante sumpsisset, multáq; meri potione virus expellente: seu quoniam principibus mos est, antequam cibũ capiãt, medicamẽto vti quo venena prohibeãtur. Cæterum, cum multũ euomuisset, veriti illi ne veneno quoq; omni eiecto colligeret sese, atq; vnà omnes cædi imperaret, persuaserũt magna mercede Narcisso cuidam audaci strenuóq; adulescenti, vt ipsum in cubiculo strangularet. Hunc finem vitæ Commodus habuit, tredecim annos post parentis obitũ imperio administrato, vnus omnium ante se imperatorum nobilissimus, omniúmq; eius ætatis hominũ formosissimus. Quod si dicendum de fortitudine quoq; est, ne in hoc quidem cuiquã, præsertim destinãdis ictibus, concessurus. Sed tamen totam vitæ rationẽ studijs (vt dictum est) fœdissimis contaminauit.

Voluptatũ imperia.

Mos principũ in capiẽdo victu.

Narcissus imperatorẽ Cõmodum strangulat.

Cõmodus ĩperauit ãnos 13.

HERODIANI LIBER SECVNDVS.

Occiso Commodo, quẽadmodum superiore volumine demonstrauimus, cum cælare factũ interfectores, & aulicas excubias fallere vellent, vili quodam stragulo inuolutum constrictúmque corpusculum, ac duobus exploratæ fidei famulis impositũ, ædibus exportandum velut aliquid superuacuũ ex cubiculi supellectile curauerunt. Qui autẽ exportabant, per medios euasere custodes, partim ebrios, dormitantésque, ac manu languida tenentes hastilia, partim etiã socordes eorum quæ ad se parum pertinere arbitrabantur. Ita corpus principis furtim elatum, ac per noctem vehiculo impositum, in Aristeum miserunt. Lætus autem & Electus Martiáque quid agendum foret, diu deliberato, tandem decernunt ita de eius morte rumores serere, quasi repente in apoplexiam incidisset. quod facilè de illo creditum iri existimabant, quem constabat identidem solitum immoderatis epulis saginari. Sed ante omnia tamen visum est, aliquem prouectum ætate ac modestum hominem deligere ad imperium, per quem & ipsi incolumes forent, & omnes à sæua immoderatáq; tyrannide respirarent. Igitur diu consultato, neminem sic idoneum inuenerunt, vt Pertinacem. Erat autem Pertinax genere Italus, domi bellíq; rebus gestis clarus, multísq; insignis trophæis quæ aduersum Germanos atq; Oriẽtales Barbaros erexerat. Vnúsq;

Cõmodi corpusculũ ædibus exportatur.

Cõmodi mortis causa fingitur.

Pertinacis res gestæ recẽsentur.

erat reliquus è grauissimis illis quos pater Commodo amicos reliquisset, cuique plurimum ex omnibus socijs ducibúsque detulerat, tutus hactenus vel grauitatem ipsam verito, vel ob paupertatem hominis dissimulante Commodo. Siquidem id quoq; illius laudibus accedebat, quòd cum plurima omnium administrasset, tamen erat omnium pauperrimus. Hunc igitur Pertinacem nocte intēpesta sopitis omnibus Lætus atq; Electus cum paucis eiusdem factionis adeunt: & cum ianuam occlusam offendissent, ianitorem excitarunt: qui vbi adaperuit, milítésque & Lætum præfectum adesse vidit, perterritus atque expauefactus Pertinaci renunciat. Is admitti illico iubet, euentura mox inquiens quæ sibi ad eam diem mala præsagiuerat. Tanta porrò fuit animi cōstātia, vt ne lecto quidem se mouerit, aut habitū oris demutauerit, sed ingressis Læto atque Electo, quamuis ad se occidendum missos crederet, pleno audaciæ vultu, miniméque pallenti, Iampridem, inquit, hunc exitum vitæ singulis etiam noctibus sperabam, qui ex omnibus paternis amicis vnus adhuc essem reliquus. Itaq; demirabar quonam tam diu rem differret Cōmodus. Proinde quid statis? quin facitis imperata, méq; à tristi aliquādo ac perpetua formidine liberatis? Ad hæc Lætus, Desine, inquit, indigna te & superiore vita tua fabulari: neq; nos mortē tuam, sed salutē cum nostrā, tum Romani imperij petitū venimus. Iacet enim tyrānus, debitásque luit pœnas, ea passus à nobis, quæ in nos facere moliebatur. Quare huc adsumus imperiū tibi tradituri,

Pauptatis honos.

Pertinax pauperrimus.

Animi constātia in Pertinace.

quem vnum ex omni senatu vel temperantia vitæ, vel authoritate, vel ætate etiam, & grauitate moru scimus esse præstantissimum, charúmque populo, & venerabilem: sperantes, quod agimus, & optabile illis, et nobis salubre futurum. Ad hæc Pertinax, Desinite inquit, senem ludere hominem, atque ita timiditatis arguere, vt prius decipere, dein occidere studeatis. Atqui, inquit Electus, quando nobis paru credis, cape libellum hunc (nam manu certe agnoscis Cōmodi) ac tute lege: cognosces proculdubio quātum effugerimus periculi: neq; tentamētu aliquod in nostris verbis, sed veri fidem deprehendes. Quod vbi Pertinax fecit, iam profecto viris antea quoq; sibi amicissimis credendum ratus, intellecta omni re, totum se illorum potestati permisit. Placuit igitur primo exercitum adiri, ac militum tentari animos: quos tamen Lætus in sententiam suam facilè se adducturum pollicetur, quippe cuius aliqua, vtpote præfecti, futura esset apud illos authoritas. Quocirca omnes quotquot aderant, ad exercitu festinant, cum iam multum noctis processisset instante Kalen. Ianuariaru die. Mittunt præterea fidos homines qui passim rumorem disseminēt, vita defunctum Commodum, Pertinacémq; iam imperaturum contendere ad exercitum. Qui vbi rumor euagatus, repente populus vniuersus lymphato similis ebacchari & discurrere per vias, ac letabundi omnes renunciare pro se quisque amicis quibus aut dignitas aut diuitiæ superabāt. nanq; illis potissimu discrimen impendebat à Commodo. Ibant igitur ad

Charus populo & venerabilis Pertinax

Libellus iniuriæ a Cōmodo cōscriptus Pertinaci traditur.

Religio Romanorum.

templa & aras dijs gratulatum, alij alia vociferantes. Quidam iacere tyrannum, pars gladiatorem, nõnulli etiam multo his fœdiora. Quæq; hactenus metus represserat, ea nũc licentia ac libertate oborta impune iactabantur. Sed & pleraq; pars populi cursu concitato ad exercitũ cõtendebat, veritis omnibus vt satis libenter imperatorẽ Pertinacẽ milites acciperẽt. Quippe moderatũ principem non sanè nimis ex sententia futurum sperabant militibus, qui scilicet tyrannidi seruire, vimq; omnem ac rapinas exercere consueuissent. Itaque velut ad obsequium impulsuri confluxere ad castra frequentes. Quo vbi peruentum, ingressi Lætus & Electus vnà cum Pertinace sunt. Ibi conuocatis militibus ad hunc modum Lætus verba facit.

CONCIO LAETI.

Cõmodus imperator vester apoplexiæ morbo interijt. Causa mortis nemo alius, sed est ipsemet sibi. Nam cum frustra nos optima atque salubria subijceremus, gerens ille se queẽadmodũ omnes nostis, cibo potúque nimio suffocatus est: atque is quidẽ suo sibi fato extinctus perijt. Quippe nõ vna eadémq; cunctis hominibus mortis causa, sed aliæ alijs, cũctæq; tamen ad eundem tendentes vitæ finem. Verum pro illo adducimus vobis ipsi ac Romanus populus virũ ætate grauem, vita moderatum, militaris disciplinæ peritissimum, cuius bellicã virtutem vos quidẽ veterani sæpenumero experti, cæteri tot annos vrbi præfectum non honore solum, sed etiam admiratione dignissimum indicastis. Igitur fortuna non principem solum vobis dat, sed parentem quoque optimũ. Cuius

principatus nō vobis modò, qui eū præsentes tuemini, sed ijs etiā iucundissimus futurus est qui ripas fluuiorum, ac Romani terminos imperij defensant, videlicet res eius præclare gestas memoria retinentibus. Neq; vero iam barbaros nobis precio cōciliabimus, sed eorū memores quæ hoc duce perpessi sunt, metu potius subigentur. Hæc dicente Læto, minime iam se cohibuit populus quin cessante adhuc & dubitabūdo milite Augustū illum declararet, patrémque appellaret, & faustis omnibus acclamationibus prosequeretur. Idem etiam milites factitabant, quāquam non pari alacritate: sed circunfusa vndique inermibus festúmque agitantibus diem populi turba facilè illos acclamare, ac Pertinacem vocare Augustum coëgit. Mox iurati de more in illius nomē, factáque re diuina, laureati omnes populus atque exercitus prosequebantur. Sed postquam in aulam imperatoriam per noctem (vt diximus) à milite populóque deductus: magnis curarum motibus æstuabat. Et quanuis animo esse forti constantique videretur, tamen illum vehementer præsentia territabant, non de salute sua magnopere solicitum, quippe aliàs grauiora pericula contempserat, sed repentinæ tyrānidis mutationem animo versantem, nobilitatémque nonnullorum senatorum reputantem, quos minime passuros arbitrabatur post imperatorem generosissimum recidisse principatum ad hominem priuatæ stirpis atque obscuræ. Nā etsi vita ipsius planè temperans ac frugalis bene audiebat, maximámque in bellicis negocijs gloriam fuerat

adeptus, attamen claritate generis impar habebatur. Igitur postquàm diluxit, in curiam se contulit, neque ignem sibi præferri, neque vlla principatus insignia passus attolli, donec senatus sententiam scitaretur. Sed eũ omnes simul atq; viderũt, lætis acclamationib⁹ vnanimiter exceperunt, Augustúmq; & imperatorem consalutarunt. At ille recusare instititit, tanquam rem inuidiosam, nomen imperij: excusare senectutẽ: veniámq; orare, multos esse dictitãs patricios viros quibus magis imperium conueniret: simul Glabrionẽ manu comprehensum protrahens, sessitare imperatoria sella iubebat. Erat enim ille omnium patriciorum nobilissimus, ad Æneam Veneris & Anchisæ filium seriem generis referens, idémq; iterum Consul: qui tamen ita tum locutus est. Equidem egomet, quem tu omnium putas dignissimum, cedo tibi imperio, atque vnà mecum senatus omnis summam tibi potestatem decernimus. Ibi vero ille vim penè afferẽtibus, atq; impense rogantibus vniuersis, vix tandem dubitabundus sellam imperatoriam conscendit, atq; orationem huiuscemodi habuit.

Glabrio patriciorum nobilissimus.

Oratio Pertinacis ex sella imperatoria.

Consensus hic vester, studiúmq; eximiũ vni mihi plurimũ in tanta ista nobilitate deferẽdi, cũ omni adulationis suspicione vacet, argumentúmq; beneuolentiæ, fidémq; præferat, aliũ fortassis audaciorem atq; alacriorem redderet ad ea quę traderentur suscipienda, sperantẽ facili se gubernatione vsurum, qui tantam in vobis beneuolentiam animaduerteret. Me autem contrà magna ista scili-

cet atq; egregia, sicut honoris sensu obstupefaciunt, ita metu quodã curáque solicitant. SIQVIDEM arduũ in primis est, magnis acceptis beneficijs paria referre. Nã in beneficiorũ vicissitudine si magnã gratiam referat qui paruam debuerit, non tam facilitas remunerandi expenditur, quàm in ipso argumẽtum grati animi commendatur. Sed cum prior quispiam eximia in te quædã contulerit, tum si illum parum ample demerearis, non tam deesse quod reponas, quàm ipse inops sensuum, ac planè ingratissimus videare. Cerno igitur iã animo quàm mihi arduum sit propositum certamen, ne tanto à vobis accepto honore parum me fortasse dignum exhibeam. Quippe nõ in sella ipsa fastigium dignitatis, sed in operibus situm quæ illam minime dedecorent. Nam quantum præterita odimus, tantum de futuris bene speramus: ET VT tenax est iniuriarum memoria (quod enim offendit, nunquã obliteratur) sic beneficia in ipso excidunt vsu. Siquidem non tam delectat libertas, quã seruitus offendit. Neque habendam quisquam gratiã putat quòd rebus suis pro arbitrio vtatur. quippe id sibi deberi iure autumat. Qui verò suis exuitur bonis, nunquã sanè iniuriarum obliuiscitur. Neque quisquã lucro apponit quod vtilitatem in cõmune pariat. QVAE enim publice prosunt, parũ cuique curæ sunt. Sin quæ propria cuiusque sunt, minus ex sentẽtia ceciderint, tum nemo satis secum benigne agi putat. Ad hæc, quicunq; enormibus tyrannorum atq; immensis largitionibus insuerunt, ij, si frugalius paulo

Pulchra sententia.

Tenax iniuriarum memoria. Offensa nunquam obliteratur.

Pulchrè dictũ.

aut continentius ex pecuniæ inopia agere instituas, non tam id moderatæ cuidam dispensationi prudentique attribuũt, quàm auaritiam continuò tibi & sordes exprobrãt. Neque autem cogitant neminem posse magna ciuiuis dilargiri, qui se à vi atq; à rapinis abstineat. Qui autem rectè ac pro cuiusque dignitate dispensat, nõ modo nihil cuiquam iniuste eripit, sed & cæteros frugi esse docet, et parcere parto. Hæc igitur cum animis vestris reputantes, adnitimini vos quoq; mecum Patres, communémque hanc imperij administrationem existimate. Quippe in republica optimatium, non autem sub tyrannide victuri, cum ipsi optimam habere spem, tum reliquis etiam debetis polliceri. Hæc locutus Pertinax senatui animũ addidit, votisque exceptus & acclamationibus, habitúsq; honorificentissime, Iouis aliorúmque deorũ templis consalutatis, sacrificióq; de more facto, in aulam palatinam se cõtulit. Postea vero quàm fama vulgauit quæ ille vel in senatu dixisset, vel ad populũ scripsisset, læti omnes agitare, sperantes serium se & clemẽtem principem, parentémque adeo magis quàm imperatorem habituros. Nam & militibus edixit ne cui ex populo contumeliam facerent, neue quem viatorem pulsarent: cunctáq; denique ad honesti cultum modestiámque referebat. Ipse cum aut ingrederetur, aut ius diceret, comem scilicet ac mansuetã indolem ostendebat: & cũ Marcum in primis referre videretur, seniores quidẽ admonitu delectabat, reliquos autem à crudeli contumeliosáq; tyrannide ad modestam vitã

Edictũ Pertinacis imperatoris.

tranquillámque vindicatos, facilè ad se amãdum impulerat. Quæ cum fama latius euagaretur, nationes omnes, atque exercitus subiectos Romanis, aut amicos ad deferendos ei diuinos honores incitauit. Quin Barbari quoque si qui aut frenos depulerant, aut seditiones moliebantur, metu virtutis quam præstitisse eum superioribus bellis meminissent, iustitiæque fide, cum neminem ab illo sciret vltro offendi, sed gratiam cuiq; pro meritis referri, vimque abesse & crudelitatem, spõte illi se dediderũt. Legationes præterea vndiq; confluebãt gratulatum Romano populo quòd Pertinacis imperio gubernarẽtur. Sed quod plerisque omnibus publice priuatimque gratum fuit, modestum mansuetúmque principem populo Romano cõtigisse: id vero vrbanæ cohortes imperatorum custodiæ adhibitæ grauiter molestéque ferebant. Siquidẽ à rapinis iniurijsque ad temperatũ vitæ cultum reuocatæ, ac mitẽ illam ciuilémque gubernãdi rationem in cõtumeliã suam ac dedecus accipiẽtes, vt ex qua licẽtiam sibi ademptã intelligerẽt: nullo iã pacto rectorẽ huiuscemodi tolerandũ statuebãt. Igitur principio cõtumaciores se gerere, minúsq; dicto audiẽtes esse. Postremo nondũ bimestri imperio expleto, cũ quidem ille iã non dubiũ suæ probitatis specimẽ dedisset, vniuersis in optimã spẽ erectis, inuidit repẽte mala sors, quæ omnia funditus euertit, sic vt egregij illi conatus vehemẽter omnibus profuturi, in medio quasi cursu prolaberẽtur. Nã primum quidem quicquid in Italia aut alibi gentiũ inculti soli etiãque sub regi-

Sors inuida virtuti.

Pertinacis liberalitas.

bus vacaret, id totum occupantibus & colentibus adiudicauit: decémque annorū immunitatem, ac perpetuam libertatē agricolis concessit. Imperatorijs autem possessionibus nomē suum inscribi prohibuit, non esse illas dictitans imperantium proprias, sed communes Romanorū, & publicas. Vectigalia quoque omnia, quę ad contrahendas pecunias tyranni excogitauerāt in fluuiorum ripis, in vrbium portibus, pérque vias & itinera, penitus remisit, atque in antiquam libertatem reuocauit. Multáque item ad id exemplum facturus videbatur. Nam & delatores vrbe exegerat: & vbiubi inuenirētur, puniri imperauerat, cauēs ne cui de vanis criminibus periculum conflaretur. Ergo in maxima tranquillitate sese beatissimóque rerū statu victuros senatus cæterique arbitrabantur. Siquidem adeo se æquabilem parémque cæteris præstabat, vt filium quoq; iam adulescentem in aulam palatinam nunquā adduxerit, sed intra priuatos parietes continuerit, sic vt in ludū quoque literarium atq; gymnasia de more itaret, nihil priuatis absimilis, erudiretúrq;, et omnia perinde vt quiuis è medio agitaret, neq; vllam aut tyrannicā aut omnino imperatoriam pompam ostētaret. Cum in hac morum vitæque modestia ageret, soli scilicet prætoriani milites præsentem rerum conditionem haud satis æquo animo ferentes, veterem illam licentiam violenter se gerendi, raptandiq; omnia, affectabant: intérque vina & epulas consilia inierunt Pertinacem è medio tollendi grauem ipsis atq; onerosum, alterúmque eius loco

Iustitia principis Pertinacis. Delatores vrbe exacti.

Pertinacis filius quibus artibus institutus.

Consilia inter vina et epulas inita, qualia.

imponendi rebus Romanis, indulgentem atq; intemperantem, nihilq; denique non licentiæ præbiturum. Igitur confestim haud opinatò, cunctis ocium agitantibus, turbidi ac furentes militari cursu meridie ipso protētis hastis, nudis gladijs frequentes ad imperatoris ædes feruntur. Re autē subita insperatáq; perterriti cubicularij palatini, pauci plurimis, & inermes armatis minime ausi resistere, relicta sua quisq; statione diuersi alij aliò defugerunt. Pauci tamen ex amicissimis nunciato militum cōcursu persuadere Pertinaci conabantur vti fuga sibi consuleret, populiq; auxilium imploraret. Ille autē tametsi vtilia in præsens audiebat, tamen indecorum existimans atq; illiberale, minimèq; dignum imperatoria maiestate, atq; anteacta vita, fugæ aut latebris salutē debere, occurrere periculo, ac procedere in mediū decreuit, sperās persuasurum quæ vellet, & furentes in præsens animos placaturum. Igitur cubiculo egressus, factúsque irruentibus obuiam, quærere causas institit tam subiti motus, & à fœdissimo illo tumultu absterrere, non attonitus periculo, sed habitum oris grauem moderatúmq; retinens, parémque imperatoriæ dignitati: ac nihil humile, nihil pauidum aut obnoxium, nihil deniq; supplice dignum præ se ferens, ita ad eos verba fecit. Me quidem ô milites, inquit, si occiditis, neque ipsi rem magnā facitis, neq; mihi sanè grauem, homini videlicet huius ætatis & gloriæ. SIQVIDEM humanæ vitæ finis certe est aliquis necessarius. Vos autē principis curæ custodiæq;, & propulsandis aliūde

Eiusmodi fuit fuga stipatorum cum Seruius Tullus Ro. rex à Tarquinio per gradus precipitaretur.

Oratio Pertinacis antequam confoderetur.

periculis adhibitos, cædem ipsos facere primos, neque ciuili tantum, sed imperatorio quoq; sanguine polluere dextras, id vero videte ne vel in præsens flagitiosum sit vobis, vel in posterum periculosum. Neque enim ego vlla vos iniuria affeci. Si enim Cōmodi doletis interitu, nihil profecto nouum fuit mori, qui homo natus fuerat. Sin dolo necatum putatis, non meū sanè id crimen: quippe quem ipsi scitis ab omni etiam suspicione procul abesse. Quæ enim tunc acta sunt, vos primi cognita habuistis: vt etiam si quid obortum suspicionis est, id vtique alios attigerit. Cæterum, ne illo quidem extincto quicquam vobis desieri patiemur quod modeste atque ex dignitate vestra, non autem per vim & rapinas concupiueritis. Ita loquente eo, iam quidam ex his permotum iri videbantur: neque sanè pauci abire iam cœperant, veriti sanctimoniam principis, ac senectutem: sed à cæteris facto impetu obtruncatur. Qui statim eo perpetrato scelere, multitudinem declinantes indignissime laturam id facinus, occupant in castra abire, muróque continent se, dispositis pro turribus armatis qui populum à mœnibus arcerent. Hunc finem Pertinax sortitus est, vitæ, morúmque (vt supra diximus) laudandus. Sed vbi cædis illius fama per populum dedita, tumultu scilicet luctúque omnia compleri, discurrere vniuersi furentibus similes, neque certi quid agerent, quærere ipsos authores: quos neque inuenire tamen poterant, neq; vlcisci. Præcipue verò senatus indigne id ferre, cōmunémq; eam calamitatem existi-

Purgatio cædis Cōmodi.

Quantū imperator militibus cōcedere debeat.

Pertinax obtruncatur.

Luctus populi ex Pertinacis cæde indignissima.

mare, desyderans parẽtem optimum, ac principem indulgentissimum, rursúmq; tyrannidem metuẽs, quam cordi esse militibus intelligebat. Sed cum dies vnus itémque alter abijsset, plébsque vniuersa suo quisque metu quietem ageret, & qui dignitate authoritatéque pollebant, in sua prædia quàm longissime poterant ab vrbe secessissent, ne quid in eligẽdo successore grauius obijceretur, cognito milites & quietum esse populum, & existere neminem qui principem interfectum vindicaret, ipsi quidem castris se continebant, constituto autem supra murum vocalissimo quoque edicunt venale imperium, traditurósque se ei qui plurimum pecuniæ polliceretur, tutóque in aulam deducturos. Id auditum neminem è senatu grauitate atque authoritate præditum, neminem è nobilitate, aut ex ijs denique permouit quicunq; adhuc opulenti superabant. tenues reliquiæ Cõmodi tyrannidis, neque ausus quisquam aut muro succedere, aut turpem contumeliosúmq; dominatum pecunia pacisci. Sedenim Iuliano cuidam consulari viro, qui grãdem habere pecuniam credebatur, vespere supra cœnam nunciatur inter vinum atque epulas militum edictum. Quippe homo alioqui parum vitæ continentis habebatur. Persuadent igitur vxor atque filia, & parasitorum turba, vt relicta mensa acceleret, & quid agatur intelligat: ac subinde inter eundum adhortantur occupet proiectum imperium, superaturum largitione omnes, qui tantum diuitiarũ possideat. Igitur vbi ad muros accessit, clamare occœpit, daturũ quæ vellent,

Venale imperium Romanum.

Ab iniquis cõsultorib9 nũquam felix cõsiliũ proficisci.

habere se magnas opes, plenos auri thesauros, atque argenti. Eodémque tempore Sulpitianus & ipse vir consularis, ac præfectus urbi, socérque Pertinacis imperium licitabatur. Verum in eo milites suspectam habuerũt Pertinacis propinquitatẽ, subesse aliquid fraudis suspectantes, quò illius cædes vindicaretur. Ergo Iulianum scalis demissis supra muros attollunt, non prius ausi reserare portas, quàm cõueniret de numero dandæ pecuniæ. Ille ingressus in castra, primum quidem honores Cõmodi, & statuas quas sustulerat senatus, instauraturum pollicebatur, cõcessurúmque ipsis quam quondam sub illo licentiam obtinuissent, præterea militibus singulis plus multo argẽti daturum, quàm aut petere auderent, aut accepturos expectauerant: neque in dando moram futuram· nam domi eam pecuniam adseruari. Quibus adducti rebus milites, atque in tantã spem erecti, Iulianum declarant principem, simul ei Commodi cognomen imponũt. Tum signis sublatis, impositisque illius imaginibus, deducere hominẽ tendunt. Igitur de more sacrificio in castris peracto, exijt maiore militum comitatu, quàm cæteri consueuerant. siquidem per vim, contráque populi voluntatem, pérque turpitudinem & dedecus imperiũ emercatus, iure impetum multitudinis verebatur. Sed induti armaturas milites, circunseptique vndique testudine facta, vt etiã si res posceret, dimicarent, receptóque in medium imperatore suo, clypeis hastisque supra capita elatis, vt tutiores forent si forte lapides è tectis mitterentur, deducunt eum in aulam, neque auso resistere populo,

Iulianus scalis demissis supra muros attollitur.

Iulianus princeps declaratur.

Ad eundẽ ferè modũ Tar. Superbus Ro. imperium scelere emit.

neq; (vt mos est) faustis acclamationibus prosequẽte, sed diras procul imprecantibus vniuersis, grauitérq; exprobrantibus quòd ære sibi imperium parauisset. Tunc primum videlicet corrupti militum mores, fœdáq; & insatiabilis pecuniæ cupiditas, & contemptus imperatoriæ maiestatis inoleuit. Nam cum neq; vindex existeret vllus tam crudeliter interfecti principis, neq; promercale factum imperium, fœdéq; nũdinatum quisquam prohibuisset, id vero initium causáq; militibus fuit vt etiam in posterum turpissimi contumacissimi'q; euaderent, sic vt auaritia in dies, ac principum contemptus etiam vsq; ad sanguinem proueheretur. Enimuero Iulianus imperium adeptus, delicijs cõtinuo crapulæ'q; se dedere, circa Rempub. indiligens, vitámque mollissimam, luxúque circunfluentem traducere. Sed & spem militum fefellerat, neq; implere fidem promissorum potuerat: siquidem nec opes domi quantas iactabat, & publicum ærariũ sumptibus illis insanis iampridem à Commodo exhaustum. Quare cum milites habebat infensos, tum à populo totius rei conscio facilè contemnebatur. Itaque & prætereuntem maledictis insectabantur, & turpes ambiguásque voluptates exprobrabant, sic vt propalam etiã in circo, quo maxima vis hominum cõfluit, Iulianũ incessierent, ac vindicẽ Romani imperij, præsulémq; summi principatus Nigrũ vocitarent, orãtes vt quamprimum adesset, ipsósq; à tantis contumelijs assereret. Is Niger consulatum gesserat, ac tum Syriæ præerat vniuersæ, qui honos ea tẽpestate multo ma-

Corrupti militum mores pecuniæ auiditate.

Imperium palã ceu in nũdinis vẽditũ.

Iulianus promissorum fidem implere non poterat.

Iulianus conuitijs incessit.

Nigri imperium.

ximus erat. Quippe etiam Phœnices, omnisq; ad Euphraten regio Nigri suberat imperio. Ipse ætatis erat iam ad senectutem spectantis, multisq; & magnis in rebus versatus famam obtinuerat mansuetudinis ac dexteritatis, sic vt etiam Pertinacis vitā putaretur æmulari. Quibus maxime rebus populi fauorem adeptus videbatur. Hunc igitur assidue frequentis populi clamores implorabant: ac præsentem Iulianum conuitio lacerantes, illum etiā absentē vniuersi principalibus acclamationibus faustisq; vocibus prosequebantur. Quibus intellectis Niger putans omnia sibi ex sententia successura, & quod à militibus negligebatur Iulianus, vt qui fidem minime impleuerat: & contemnebatur à populo, vt parū dignus empto principatu: spem cepit imperij vindicandi. Ac primo quidem ex ducibus tribunisq; cæterisq; militibus qui plurimum haberent authoritatis, diuersos alium alio tempore domum dimittebat edoctos rerum omnium quæ sibi Roma afferebantur. Id hoc consilio faciebat, vt quàm latissime toto Oriente rumores disseminarentur. Ita enim sibi adiuncturum quàm plurimos existimabat, si non imperium ex insidijs occupaturus, sed opem vocantibus atq; implorantibus allaturus videretur. Proinde vniuersi confestim adesse, obsecrare pro se quisq; obtestariq; vti quàm primū Rempublicam capesseret. Est autem Syrorum gens natura leuis, pronaq; ad res nouandas. Amabant autem vehementer Nigrum, quòd & imperium apud illos humanissime gesserat, & ludis multitudinem ac celebritati-

Syri leues.

bus detinuerat. Sunt autem Syri suapte natura huiuscemodi oblectamentorum cupidiores: è quibus Antiocheni maximã felicissimámq; vrbem inhabitantes, totum fermè annum vel in vrbe ipsa vel in suburbanis ludos & festa concelebrant. Quocirca edendis assidue spectaculis, ac remittendis exhilarandísque ocio animis ita sibi vulgus adiunxerat, vt ab omnibus magnopere coleretur. Quæ cum ita se habere intelligeret, iussis adesse dicta die militibus, reliqua etiam confluente multitudine, ita pro suggestu ad id ipsum extructo verba fecit.

Antiochia metropolis vrbs in Syria.

Vàm mite ingenium, quantáq; in rebus maioribus aggrediendis nostra cautio sit, forsitan ipsi quoq; iam pridem cognouistis. Neq; ego nunc apud vos processissem verba facturus, si vel priuato consilio, vel incerta spe, aut spem superante cupiditate adducerer. Sed me vocant Romani, & assidue clamantes fatigant vt eis manum porrigam salutarem. Neque patiar tam excellens támque gloriosum relictum à maioribus imperium iacere abiectum turpiter. Vt autem citra occasionem aliquam res aggredi tãtas, audax sanè temerariúmque sit: ita si implorantibus ac rogantibus opem deneges, timiditatis & proditionis crimine labores. Quapropter eo consilio ad vos huc prodij, vt scitarer quid facto opus esse duceretis, vobísque vterer quasi totius negocij huius consultoribus. quod si ex sententia successerit, communis mihi inde vobiscum erit vtilitas. Neque scilicet tenues opes aut leues sunt quæ

Concio Nigri ad milites.

nos solicitant, sed ipse Romanus populus, cui rerum omniũ potestatẽ superi tribuerunt: ipsum Romanum imperium fluctuans adhuc, neq; apud quenquam certa sede residens. Sed neq; parum tuta inimus consilia, his implorantium animis, nullo ad prohibendum resistendúmque parato. Nam qui illinc veniunt, ne ipsos quidem milites vnde imperium emptitauerit, satis ei fidos fore affirmant, quoniam promissa non soluerit. Quæ sit igitur vestra mẽs, ostẽdite. Talia loquentem continuò exercitus omnis cæterúmq; vulgus imperatorem atq; Augustum consalutãt. Tum amictum purpura, reliquóq; exornatum aulico paratu ibidem ex tempore conquisito, præcedente etiam igni, in Antiochiæ primum templa, mox ad suas ædes deduxerũt: quas etiã ceu nõ iam priuatas omnibus extrà insignibus imperatorijs adornauerunt. His lætus Niger, cum scilicet & Romanorũ animos, & cæterorũ studia hominum animaduerteret, iam haud dubie rem omnẽ sibi esse in vado arbitrabatur. Qui postquam rumor increbruit, statim quæcunq; aduersum Europæ continentem nationes incolunt, festinare pro se quæq; vt præsto illi essent: legatíq; vndiq; Antiochiã cõfluere, velut ad legitimũ principẽ. Reges quoq; & satrapæ trans Euphraten Tygrinq; habitãtes gratulatũ miserunt, suámq; operam in omnẽ euentũ pollicebãtur. Quos ille amplissimis affectos muneribus, gratijsq; actis dimittebat, nullis sibi in præsens opus esse auxilijs affirmãs, satis munitũ imperiũ, idq; gesturum se incruẽtũ. Quare tanta spe sublatis animis, supinius

In vado esse ꝓuerbiũ id est extra omne periculum.

iam negligentiúsq; agitabat, séque populúmque Antiochenum ocio deliciisque oblectans, ludósq; edés & spectacula. Neque vero aut Romam (quod res maxime postulabat) proficisci studuit, aut Illyricos exercitus, qui scilicet in primis adeundi conciliandíque fuerant, vllis de rebus certiores fecit, sperans statim intellecta re cum Romanis eos pariter cúmque Oriẽtis totius exercitibus consensuros. Hæc dũ agitaret leui incertáque spe subnixus, fama iã per Pannonios Illyricósque increbruerat, pérq; exercitus omnes qui pro ripis Danubij Rhenique excubantes coërcendis Barbaris Romanũ tuentur imperium. Præerat autẽ Pannonijs vniuersis, (nã vnius regebãtur imperio) Seuerus quidam genere Afer, vehemens homo negocijs gerendis, ac ferox, vitæq; insuetus duræ & asperæ, promptus excogitandis, acer exequendis rebus. Qui postquã Romanum principatum pendere sublimem, quasique direptui expositum vidit, alterũ quidem vt desidem, alterum vt parũ efficacẽ contemptui habuit. Addebãt præterea spẽ somnia quædã & oracula, cæteráque futurorum præsagia, tum deniq; fidem veri impetrantia, cum sunt euentum sortita. quorũ pleraque ipse in libris de vita sua cõscripsit, ac publice in tabulis picta dedicauit. Sed quod illi extremũ maximique momẽti somnium spem propemodum omnẽ conciliauit, id ne nobis quidem silentio prætereundũ. Quo enim tempore nunciatum est Pertinacẽ ad imperiũ adscitum, peracto Seuerus sacrificio, iuratúsq; fidẽ principi, vbi primũ domũ redijt,

Seueri ingenium.

Seuerus librũ de sua vita cõscripsit.

Insomnium Seueri.

somno comprehensus videt per quietem magnũ quendam ac generosum equũ ornatum phaleris imperialibus qui Pertinacem ipsum per vrbem veheret media Sacra via. Sed vbi ad ipsũ fori peruenit ingressum, in quem olim liber populus frequens cõueniebat, visus est excussisse Pertinacem equus, atq; abiecisse humi, proximéque astanti Seuero tergum substernere, eúmque perferre sublimẽ tutò in forum medium, conspicuum venerabundæ multitudini. Manet autem adhuc huius imago somnij eodem ipso in loco ingens ex ære conflata. Ad hũc igitur modum sublatis animis Seuerus, ac se diuina prouidẽtia solicitari ad imperium ratus, decreuit animos periclitari militũ. Quare primum quidem præfectos tribunósq; & primos militum sibi adiungens, cũque ijs de Romano imperio sermones serens, abiectum id esse dictitabat, existente nullo per quem fortiter atque ex dignitate gubernaretur. Inuehens præterea in prætorianas cohortes quæ sacramentũ militare ciuili imperatorióq; sanguine polluissent, vindicãdam esse aiebat ac persequendam Pertinacis cædem, minime ignarus excubare adhuc memoriam Pertinacis apud Illyricos exercitus, quoniam sub imperatore Marco multa illius ductu aduersus Germanos trophæa excitauerãt: & cum præfectus Illyrico foret, nullum non exemplum virtutis in prælio ostentauerat: beneuolentiam porrò ac probitatem, ad hæc ciuile moderatũque imperium socijs præstiterat. Quocirca memoriã eius principis colẽtes, tantã in illũ editã crudelitatẽ indignis-

sime ferebant. Hanc igitur Seuerus occasionē arripiens, facilè eos quo vellet adducebat, simulãs non se quidem imperium quærere, aut summã potestatem affectare, sed ire vltum sanguinem tanti principis. Nam vt eius regionis homines corporibus vtuntur prȩualidis atq; proceris, et in pugnam cædēque paratissimis, ita pingui sunt ingenio: quare haud facilè sentiunt si quid agas dicásve astute ac subdole. Quocirca cū fidem fecisset Seuerus cædē se Pertinacis persequi velle, ita sibi vniuersos conciliauit, vt imperator diceretur, summámq; ab eis acciperet potestatē. Sed vbi Pannoniorū animos explorauit, statim vicinarum quoq; gentium præsides quæcunq; Romano subiacent imperio, magnis illexit præmijs. Erat autē Seuerus vnus omnium mortalium ad amorē simulandum maxime factus, sic vt ne iusiurandum quidem fallere dubitaret si ita vsus posceret: longéq; aliud in lingua promptum, quàm in animo reconditū gerebat. Igitur Illyrico omni, rectoribúsq; prouinciarum per literas insinuatus, collectisque vndecunque militibus, ac suscepto Pertinacis cognomine, quod non Illyricis modo, sed Romano etiam populo gratissimum fore suspicabatur, conuocatis omnibus in campum, ita pro suggestu locutus dicitur.

Seuerus ad amorem simulādum fact⁹.

CONCIO SEVERI AD MILITES.

QVantū vel fidei vel religionis erga deos, per quos iurati estis, quantūq; honoris imperatoribus exhibeatis, quos adeò veneramini, facilè ostēditis milites, cū tantopere indignamini

cohortes vrbanas pompæ magis quàm virtutis administras, adeò fœdum facinus perpetrasse. Ac mihi quidem in votis est nunc primum tantam spem auspicanti (nam profecto scitis quàm semper audiens dicto principibus fuerim) perducere ad exitum atq; explicare quæ vobis cordi sunt, neque Romanũ imperium abiectum pati, quod quidẽ apud maiores summa semper authoritate gestum, venerandum omnibus videbatur. postea vero q̃ ad Cõmodum recidit, etsi ob illius adulescentiã sæpenumero impegit, attamen omne vitiũ cũ ipsius principis nobilitate, tũ sanctissimi parentis memoria obumbrabatur, neq; tam errata illius odium quàm misericordiam emerebantur. Quippe nõ tã ipsi quæ gerebãtur, quàm assentatoribus imputabamus, cæterisque malarum artium consultoribus atq; ministris: donec ad sanctissimum illum senẽ, cuius adhuc virtutis & probitatis nostris mentibus memoria residet, delatum fuit imperium. Quem tamen tantũ abest vt tolerare illi potuerint, vt cæde etiam nefaria talẽ virum è medio sustulerint. Post hunc autem, terræ marisque imperium nescio quis turpissime auctionatus, et populo (quẽadmodum auditis) inuisus est, & milites ipsos, quibus imposuit, parum fidos habet. Qui tamen si etiam defensuri illum forent, attamen neq; numero vniuersi, neq; virtute singuli conferendi sunt vobis. Ad hæc, bellica vos negocia exercuerunt. Nam et cum Barbaris pedẽ cõferre, & labores õneis perferre, & algores æstúsque despicere, & concreta gelu calcare flumina, &

potare effossos latices, nō haustos, & venatu inuigilare consueuistis: omnia denique ad virtutem adepti viatica, sic vt memini facile sit vestris obsistere viribus. ETENIM labore miles probatur, nō mollitudine: qua illi exsaturati atq; enutriti, ne vocem quidem vestram, nedum pugnam poterunt sustinere. Quòd si cui Syriæ res formidabiles vidētur, is vel ex eo cogitet quàm imbecillæ sint, quámq; tenui spe nitātur, quòd neq; adhuc progredi quoquam, neque de vrbe petenda deliberare ausi, sedésque illas boni consulentes, delicias in diem quæsitas, lucrum esse ambiguæ potestatis arbitrantur. Est autē ad ioca & cauilla in primis factum Syrorum genus. tum qui Antiochiam colunt, ij studere Nigro potissimum credūtur. Nam gentes reliquæ et ciuitates, cum adhuc neminem imperio dignum aspiciāt, quique sit Rempublicam fortiter moderatéque gesturus, ei scilicet obedire se tandem simulant. Quòd si ab Illyrico exercitu ducem creatum cognouerint, simúlque nostrum nomen inaudierint, non obscurum sanè apud ipsos, neq; ignoratū, (quippe illic etiam cū imperio præfuimus) neq; me profecto desidiæ aut torporis arguerint, neq; vestrū exceptare impetum, at bellicam virtutem volēt experiri, præsertim cum & corporum proceritatibus, & armorum exercitationibus, & conferenda manu longe vobis impares habeantur. Quare occupemus quāprimum Romam, larē ipsum imperij: reliqua dein facilè expedituri, cum deorum oraculis, tum armorū corporúmque vestrorū viribus confidentes. Hæc lo

Labore miles probatur.

Accusatio in Nigrum, q̄ delitijs populum īsolescere passus sit.

Militum virtutem laudat Seuerus.

cutum Seuerum faustis acclamationibus milites exceperunt, Augustum Pertinacémq; appellantes: studiúmq; in eum propensum, atq; egregiam voluntatē pollicebantur. At Seuerus nihil procrastinandum ratus, armari quā expeditissime iubet, itérq; ad vrbē edicit: distributísq; viritim cibarijs, omníq; viatico, nihil sibi ad celeritatem facit reliqui, nullis interquiescēs locis, ac vix residere tātisper milites passus donec à nimia itineris contentione respirarent. Ipse inter primos laborans, vilique tabernaculo vtens, cibum potúmque eundem quem etiam cæteri milites, capiebat. Nihil vnquam imperatoriæ luxuriæ, nihil deliciarum ostentans, sic vt acceptior in dies militibus fieret. Nam cum laborum omnium non modo particeps sed princeps etiam authórque foret, adeo cūctis venerabilis erat, vt nihil non pro illo cupidissime facturi viderentur. Postea vero quàm emensa Pannonia ipsos Italiæ montes insedit, famámq; sui præueniens, prius coràm conspectus est, quàm aduentare auditum fuerat: magnus scilicet omnes Italiæ ciuitates tāto conspecto exercitu metus inuasit. Quippe homines in Italia iam pridem ab armis bellóque remotissimi, agros pacémque colebant. Etenim quàm diu libera ciuitas egit, atque à senatu belli duces eligebantur, fuere in armis semper Italiæ nationes, Græcísque & Barbaris subactis, terræ sibi marísque imperium pepererunt: neque vlla orbis terrarum pars aut cœli tractus fuit, quo non vires suas Romanorum arma protulerint. Postea vero quàm Augu-

Seuerus Augustus appellatur.

Seuerus omniū laborū & particeps & author.

Romani imperij propagatio.

stus rerũ potit⁹ est, et laborẽ Italis ademit, & arma detraxit: milites tantũ quosdã certis authoramẽtis habuit mercenarios, qui Romanũ tuerentur imperiũ: tum fluuiorũ magnitudine atq; fossarum, montibúsq; asperrimis, desertisq; locis atq; imperuijs circũseptos imperij limites cõmuniuit. Quocirca merito omnes postquã aduentare Seuerum cũ tanto milite audiuerunt, insueta re perterriti, cum neque stare contra, neq; prohibere auderent, ibant obuiam laureati, portisque eum patentibus excipiebant. Ille tam diu locis singulis immoratus, quã diu aut sacra faceret, aut populos alloqueretur, Romã è vestigio pergebat. Quæ vbi Iuliano nunciata sunt, actum de se prorsus existimauit. Nã & exercitus Illyrici potentiam multitudinémque audiebat, & populo parum fidebat, cui se cernebat inuisum: neque satis magnam spem in militibus habebat, quos videlicet fefellisset. Itaque collectas vndiq; pecunias, partim suas, partim ab amicis acceptas, tum quascunque in templis aliisq; locis publice inuenisset, diuidere militibus instituit, vt eo pacto illorum beneuolentiam redimeret. Sed ij tametsi multa magnáque acceperant, nullam tamen habebant gratiam, persolui debitum sibi, non dari munus aliquod interpretantes. Cæterũ suadentibus amicis Iuliano vt exercitum educeret, atque Alpium angustias occuparet (Sunt autem Alpes altissimi mõtes, quales in his regionibus nulli, porrecti ad muri formam, circũdatique Italiæ, quasi ad reliquã regionis eius felicitatẽ, hunc etiam quasi cumulum natura ad-

Augustus rerum potitus militandi laborem Romanis ademit.

Actum esse, desperationẽ significat.

diderit, vt munitionẽ haberet inexpugnabilem, pertinentem scilicet à septentrionali ad id mare quod ad meridiem spectat) non ausus tamen ille vrbe egredi, supplicatũ militibus mittebat vti arma caperẽt, exercerẽntq; se, ac fossas ante vrbem ducerẽt: omnẽque belli apparatum in ipsa demum vrbe expediebat. Siquidem elephantos quoque quos ad pompam institutos habebat, insuefacere conabatur sessorem pati, ratus Illyricos milites equósque eorum perterritum iri facie magnitudinéque beluarum, quales antea nullas aspexissent. Totáq; ciuitas armis fabricandis, bellicisque instrumentis conficiendis erat intenta. Sed cunctãtibus adhuc Iuliani militibus, ac se comparantibus ad bellum, nunciatur adesse iam Seuerus. Is multos è militibus suis sparsim dimiserat qui clàm Romam proficiscerentur. Quare alij alijs itineribus noctu ingressi vrbem, protectis armis habitu paganorum operiebantur. Iámque intus hostis erat, supino adhuc Iuliano, & quid ageret ignaro. Quæ vbi populus intellexit, cunctis metu perculsis, ac Seueri potẽtiam formidantibus, sentire iam se cum illo simulabat. Et Iulianum quidem, quòd imbellis: Nigrum, quòd lentus atque iners, vituperantes: Seuerum ipsum iã aduentantem magnopere admirabantur. Enimuero Iulianus hesitabundus, atque inops consilij, conuocato prius senatu, literas ad Seuerum mittit quibus fœdus pacisceretur, eúmque in communionẽ acciperet imperij. Cæterum, senatus etsi illa omnia decernebat, tamen vt eum pænitare desperata salute

Iulianus elephantos sessorem pati docuit.

Iulianus imbellis.

Niger lentus.

animaduertit, totus iam ad Seuerum incubuerat. Biduo vero post, triduóve, audito Seuerum iam planè adesse, omnes contempto Iuliano in curiam cõuenere iussu Cõsulum. Quippe ijs curæ Romana res est quoties de imperio ambigitur. Qui postquam frequentes affuerunt, quod facto opus esset, inter se deliberabãt, manente adhuc in aula Iuliano, ac fortunã suam miserante, suppliciterq; rogante vt sibi eiurare imperiũ liceret, omnémq; eam potestatem Seuero trãscribere. Sed vbi intellexit senatus pauidum Iulianum, perterritos corporis custodes, ipsum penè ab omnibus destitutum, decreta illius nece Seuerum imperatorẽ declarant. Tum legatos ad eũ mittunt partim qui magistratum obtinerent, partim qui maximam haberẽt in senatu authoritatem, vt omnes illi honores Augustorum deferrent. Occidendi autẽ Iuliani datur vni è tribunis negocium. Is imbellem miserúmq; senem, qui sibi ipse tam infelicem exitum propria pecunia emisset, desertum iam destitutúmq; ab omnibus, inter fœdissimas cõplorationes trucidauit. Quæ vbi Seuerus audiuit, maiora iam moliens animo, cõsilium inijt capiendorum militum omnium quicunq; Pertinacem interemissent. Datis itaq; clàm ad tribunos centurionésq; literis hortatur, multa pollicens, persuadeãt militibus vrbanis vt sibi dicto audientes sint. Ipse edictum proponit, vt relictis intra castra armis exeãt pacatorum habitu, quales procedere in pompã, aut ludos celebrare consueuissent, iuréntq; in Seueri nomen, ac spem sibi optimã proponẽtes, præsto sint vt nouũ

Cõsulibus res Ro. curæ est ĩ imperij ambitione.

Iulianus à Tribuno plebis occiditur.

Edictum Seueri in prætorianos milites

imperatorem comitentur. His creditis, milites suasu quoque tribunorum relictis armis, pomparum habitu laureati processerunt. Sed ubi ad exercitum Seueri peruenerunt, nunciato iam adesse, iubet in campum conuenire frequentes, quasi salutaturus ac perbenigne accepturus uniuersos. Enimuero cum ad tribunal principis accessissent unanimiter acclamantes, dato repente signo comprehenduntur. Ita enim praeceperat Seuerus, ut cum stare pendentes eos ab ore principis vidissent, circumirent uniuersos milites sui more hostium, neminemque vulnerantes aut pulsantes, tantum orbe facto clausos in medio continerent, pila duntaxat intendentes & hastas, ut scilicet metu vulnerum nudi resistere armatis, paucique plurimis minime auderent. Quos ubi velut indagine armorum conclusos captiuosque habuit, magna voce ac turbido spiritu ita ad eos verba fecit.

Astus & consilium Seueri.

Seueri concio ad praetorianos milites astu circunuentos.

Superari vos à nobis vel sapientia, vel viribus, vel etiam numero, re ipsa videtis. Capti estis quàm facillime, ac nullo ferme negocio tenemini. Quid futurum de vobis sit, in mea manu est. Iam scilicet victimae hic statis obnoxiae nostro imperio. Si sceleri vestro debitum quaeratis supplicium, nunquam sanè inuenietis. Sanctissimum illum senem, imperatorémque optimum, seruandum tuendúmque vobis, ipsi occidistis. Romanum imperium perpetua clarum gloria, quod maiores nostri aut virtutis aut nobilitatis nomine suspiciebant, hoc vos turpiter foedéque velut aliquid ex priuatorum instrumento quasi sectores vendidistis. Ac ne eum quidem ipsum quem sic ad im-

perium produxeratis, seruare saltē aut defensare ausi, homines timidissimi, prodidistis. Ob hæc igitur crimina ac facinora vestra mille vobis debētur mortes, si quis par noxæ supplicium studeat petere. Proinde quid vos æquum pati sit, sanè videtis. Ego tamen sanguine abstinebo, neq; vestras imitabor manus. Sed quoniam ius fásque negat stipari à vobis iam principem violato iureiurando, ac manibus ciuili & imperatorio sanguine pollutis, proditáq; fide custodiáq;, animas quidem & corpora vobis nostra largietur humanitas. Porrò militibus meis ita præcipio, recingant vos, ac vestimentis exutos militaribus, nudósq; dimittāt. Vobis autē sic impero, discedatis quàm longissime. Edico item iuróq; ac denuncio capite pœnas daturum siquis vestrum posthac intra centesimum ab vrbe lapidem cōspicietur. His imperatis, è vestigio milites Illyrici concurrunt, breuésque illos gladiolos detrahunt quos auro argentóq; ornatos in vsum pompæ suspensos habebant: tum zonis vestitúque & cæteris militiæ insignibus per vim ablatis, nudos ad vnum exauthoratósq; dimiserunt. Enimuero illi proditos se videntes, atq; astu captos, patientiam scilicet præstabant. Nam quid agerent nudi aduersus armatos? pauci aduersus plurimos? Discessere igitur complorantes sese, concessámque salutem loco muneris interpretantes, pertæsi tamen ac dolentes quòd inermes egressi capiendos se turpiter ignominioséq; obtulerāt. Vsus item alio consilio Seuerus est. Quippe metuens ne recincti exauthoratiq;, deploratis rebus rursus castra repeterent,

Ius negat imperatorem à peieratoribus stipari.

Pœna eorum qui Pertinacē interfecerūt.

Astutū & prudens consiliū Seueri.

resumeréntq; arma, præmissos alijs itineribus ac semitis electissimos quosque & exploratissimos suorum militum iubet clanculum vacua castra irrumpere, armisq; ipsorum occupatis excludere redeuntes. Hanc igitur pœnã Pertinacis iterfectores dederũt. Post hæc Seuerus cum reliquo exercitu instructo armis Romã petijt, attonitis metuẽtibúsq; pariter primo cõspectu Romanis, audaciámq; viri, ac fortunam repetẽtibus animo. Quem quidem senatus populúsque vniuersus laureati exceperunt, primũ scilicet ex omnibus hominibus atq; imperatoribus citra sanguinem atq; adeò citra puluerem tãti effectorem operis. Omnia porrò mirabilia in illo, præcipuéq; ingenij acumen, laborum tolerantia, rebúsq; maximis aggrediundis bonam sibi spem proponẽs audacia. Postea verò quàm eum populus faustis acclamationibus suscepit, & senatus vniuersus ad portas vrbis consalutauit, inito Iouis templo, factáq; re diuina, reliquisq; item sacris ædibus de more consalutatis, nouissime ad domũ imperatoriam se recepit. Postridie verò curiam inijt, ibíq; placidus orationem habuit plenã optimæ spei: simul omnes publice priuatímq; benigne cõplexus, venisse in vrbem aiebat vt occisum Pertinacẽ vlcisceretur, daturúmq; operam vt status optimatiũ fundamenta se principe iacerentur. Nullum nisi iudicio damnatum capite, bonisve multatum iri, non passurum delatores, æmulum se Marci futurum gerendo imperio: neque solum Pertinacis cognomen, sed mentem quoq; habiturum. In hanc sententiã verba faciens, fauorẽ sibi fidémq;

Seueri ingenium.

conciliabat. Quidam tamen è maioribus natu qui cõsuetum ipsius haberẽt ingenium, iam tum clanculum reliquis prædicabant versipellem hunc esse hominem, nihil nõ astu & arte tractantẽ, simulatorẽ dissimulatorémq; idoneum, nihil pẽsi habentẽ dum id efficeret quod vsui sibi aut emolumẽto crederet fore. Quod seniorũ iudiciũ haud ita multo pòst euẽtus cõprobauit. Igitur Seuerus paucos in vrbe dies moratus, dato plebi vberrimo cõgiario, donatisq; abũde militibus, & ex ijs robustissimo quoq; in locum exauthoratorũ delecto ad ĩperij custodiã, statim ipse in Orientẽ profectionẽ parat, cunctante Nigro adhuc & supino, atq; Antiochenis delicijs vacãte, ratus properãdum sibi, vt inexpectatus imparatũ opprimeret. Edicto igitur militibus vt ad iter se accingerent, contractisq; vndiq; copijs, ac delectu iuniorũ tota Italia habito, simul reliquijs Illyrici exercitus quæ in Thracia remãserant, occurrere iussis, neq; secius ingenti classe coacta, cõpletisque armato milite totius Italiæ triremibus, ingenteis sibi omnis generis copias ĩcredibili celeritate comparauit. Siquidem haud exiguis viribus esse opus intelligebat aduersus nationes partem orbis Europæ oppositam incolentes, quæ scilicet vno ordine omnes Nigri sequebantur auspicia. Ad hunc igitur modum bellum Seuerus instruebat. Cæterum, prouidus homo ac sobrius, nõnulla suspicione tenebatur de Britãnicis exercitibus, maximis videlicet pugnacissimisq;, quibus præerat vniuersis Albinus senatorij patricijq; generis, vir summis opibus ac delicijs innutritus. Hunc

Versipelle Seueri ingeniũ senioribus creditum.

Congiarium.

Niger deliciarũ studiosus.

Classes.

Triremes.

Seuerus homo sobrius & prouidus.

sibi igitur Seuerus astu ratus adiungendum, ne scilicet diuitijs, genere, exercitibus, famáq; nominis, magnis ad concupiscẽdum imperium facibus instinctus, summã sibi rerum posceret, Romámq; haud procul à Britannia distantem, se bellis Orientalibus implicito occuparet, statuit cũ specie quadam honoris inescare

Dolus Seueri.

leuem alioqui & simplicẽ, tum vero etiã iuranti per literas credentẽ. Quare eum Cæsarẽ appellans, spem cupiditatémque hominis anticipat, potestate participanda. Mittit item plenas humanitatis literas, obsecrans vt ipse potissimũ curam suscipiat imperij: opus esse viro aliquo nobili, & ætatis integræ, qualis ille foret: se iam senem, morbóq; articulari affectum: natos adhuc infantes. Quibus creditis Albinus honorẽ libenter suscepit, lætus citra pugnã aut discrimen vllum compotem se voti factum. Cæterũ Seuerus quò omnia credibiliora forent, iisdem illis ad senatũ relatis, nummisq; imagine eius percuti iussis, statuisq; erectis, simul alijs collatis honoribus, fidem gratiæ suæ fecit.

Albinus.

Conciliationes amoris.

Quæ postquã sapiẽter ab illo prouisa sunt, nullo iam ex Britãnia impendente metu, collectis in vnũ circa se Illyricis exercitibus, reliquisq; rebus ex vsu cõparatis, copias aduersus Nigrum educere instituit. Igitur quibus locis itinere illo remoratus sit, quæ apud quãq; ciuitatẽ verba fecerit, quæ signa diuinitus apparuerint, regiones item peragratas, cõflictúsq;, & vtrinq; cæsorum numerũ, cum pleriq; historiæ authores, tum maxime poëtæ versibus suis vberrime sunt executi, materiam totius operis ipsam denique Seueri vitam

deligentes. Mihi autẽ propositum est septuaginta annorum res, quas habeã cognitissimas, sub diuersis principibus gestas, in vnum corpus comprehẽsas, literarũ mandare monumentis. Quocirca excellentissima & præcipua quæq; rerum à Seuero gestarũ deinceps persequemur, neq; ad gratiam vero quippiam affingentes, quod fecisse videmus qui illa ætate scriptitarũt: neq; tacitum prætereuntes si quid modo mentione dignum memoriáq; videbitur.

Historia Herodiani.

Fides Historiæ.

HERODIANI LIBER TERTIVS.

Superiore libro Pertinacis interitũ, cædémque Iuliani, simul profectionem Seueri ad vrbem, susceptámq; mox aduersus Nigrum expeditionem edocuimus. Enimuero Niger vbi Romam à Seuero occupatam, ipsum à senatu appellatum imperatorem, nihil tale expectans audiuit, præterea omnem Illyricum exercitum cõtra se, pedestres naualésq; copias educi: perturbato vehemẽter animo, monet prouinciarũ præsides, aditus omneis portúsq; custodiãt: mittítq; rogatũ auxilia ad Parthorum, Armeniorũ, atq; Atrenorum reges. Cui quidem Armenius neutras se parteis suscepturum respondit, tãtum res suas defensurum Seueri aduentu. Parthus autem satrapis imperaturum per epistolas vti copias cõgregarent. Ita enim facere consueuit bellum cõparaturus. Siquidem mercenarios milites atq; ordinarios exercitus Parthi nullos habẽt.

Niger auxilia petit.

Parthi nullos mercenarios milites habẽt.

Ex Atrenis autē sagittarij auxiliares venerūt missu regis Barsemij qui tum in eis regionibus imperitabat. Reliquas omneis copias è militibus qui aderāt potissimum cōflauit: plurimis etiā è populo, maximéq; Antiochenis, cum ætatis leuitate, tum ipsius Nigri studio impulsis, audacius quàm prudentius nomina dātibus.

Taurū montē Niger munit.

Sed & Tauri montis angustias ac prærupta loca muro valido Niger munimentísq; obstruebat, ratus montem illum imperuium, magnum Oriēti propugnaculū futurum. Siquidem Taurus inter Cappadociā Ciliciámq; dorsum erigens, nationes discriminat Orienti ac Septentrionibus subiectas. Idem Byzantium præsidio occupauit, vrbē Thraciæ maximā felicissimāq;, viribúsq; & opibus ea tēpestate florētem: quippe quæ in angustissimo Propontidos cōstituta freto, vectigalia piscatúmq; à mari accipit: simul agros possidens amplissimos vberrimósque, vtroq; velut elemento lucrum facit. Visum igitur Nigro talem hanc vrbem præsidijs occupare, vt classes nauigiáq; per eas angustias transgredi ex Europa in Asiam prohiberentur. Erat enim munita vrbs valido ingentíq; muro, qui Milesio quadrato lapide constructus, adeò tenui iunctura fuit, vt nemini compositum opus, sed ex vno tantum perpetuóque lapide videretur: ac nunc quoq; ruinas ipsas reliquiásque cum videris, mireris vtique vel eorum artificiū qui primi extruxerunt, vel horum vires qui deinceps sunt demoliti. Ad hunc igitur modum Niger suas res comprobat, prudentissimo scilicet (vt ipse putabat) tutissimóque consilio.

Byzantium.

Cæterum Seuerus quantum maxime poterat, cũ suis copijs festinare, nullum desidiæ quietique locũ relinquere. Cognito autem præsidijs teneri Byzantiũ, quod sciebat munitissimam esse vrbem, ad Cyzicum se conuertit. Hoc intellecto dux Asiæ Æmilianus, cui summam Niger totius belli, maximúmq; imperiũ tradiderat, et ipse Cyzicum proficiscitur, & copias adducit vniuersas quascunq; aut Niger miserat, aut ipse contraxerat. Sed vbi ventum ad manus, aliquot acerrime editis prælijs, victoria tandem penes Seuerum stetit, fuso fugatóq; Nigri exercitu. Itaq; confestim fracti Orientalium animi, Illyricanis autem spes ingens addita. Neq; defuere qui crederent Nigri res initio statim proditas ab Æmiliano. cuius consilij duplicem afferunt causam. Alij Nigro inuidisse, ferentem scilicet haud æquo animo si quem paulo ante in Syria successorem habuisset, eundem superiorẽ mox atq; adeo imperatorem dominúmq; esset habiturus. Alij persuasum à liberis patri per epistolas vitam salutémq; suam commendantibus, quos Romæ inuentos Seuerus in custodia habebat. siquidem hoc quoq; vsus est prouidentissimo consilio. Mos fuerat Commodo retinere apud se liberos eorum qui ad regendas prouincias cum imperio proficiscerentur, quasi obsides quosdam beneuolentiæ illorum, fideique. Igitur Seuerus cum primum est imperator appellatus, superstite adhuc Iuliano, misit furtim qui suos liberos ex vrbe subduceret, ne in alterius essent potestate. Cæterum ipse cum primum Romã ingressus

Commodi cõsuetudo.

est, comprehensos omnes ducum liberos, cæterorúmq; item quicũque munus publicũ in Oriente Asiáq; tota obirent, atq; in custodiam datos secum retinebat, quò per ea quasi pignora Nigri ducibus persuaderetur vti illum desyderio salutis liberorũ proderẽt, aut certe si in fide permãsissent, liberum sibi relinquerẽt cæde filiorũ quos vellent vlcisci. Victi autẽ ad Cyzicum Nigri milites, quàm quisque maxime poterat aufugerunt, partim præter Armeniæ montana, quidã per Asiam Galatiámq; superare tantũ festinãtes, vt scilicet intra munimenta se reciperẽt. At vero Seueri exercitus Cyzicenum per agrũ in Bithyniam finitimã regionem contẽdebat. Sed vt Seuerũ vicisse fama diuulgauit, repẽs confestim in eis locis seditio discordiáq; vrbes inuasit, non tam quidem ipsorũ imperatorum odio aliquo aut studio, quàm æmulatione quadam et contentione inuidiáq; inter eiusdẽ gentis homines funestissima. Antiquũ id vitium Græcorum: qui dum seditiones agitãt, atq; eminentissimum quẽque tollere è medio conantur, totam iam consumpsere Græciam. Cæterum illi quidem inueterati iam, attritique inter se, captiui prius Macedonũ, dein mancipia quoq; Romanorum facti sunt. Ea vero labes æmulationis atq; inuidiæ florentibus etiamnum ætatis nostræ ciuitatibus incubuit. Igitur in Bithynia statim post res ad Cyzicũ gestas, Nicomedenses ad Seuerum defecerunt, missis legationibus quæ se exerc i tum accepturos, omniáq; tradituros pollicerẽtur. Nicenses cõtrà illorũ instigati odio, Nigri partibus stu-

Taurum

Græcorum ambitio.

debant, eiúsq; suscipiebant milites, siue qui se ex fuga receperãt, siue qui ad tuendam Bithyniã mitterẽtur. Quocirca ex vtrisq; vrbibus quasi è castris egressi milites iterum concurrerunt, magnóque commisso prælio, longe superior Seuerus fuit. Inde etiã fuga facta, Nigri milites qui prælio superfuerãt, ad Tauri mõtis angustias euaserãt, clausásq; munitiones tuebantur. At Niger relicto ibi quantum satis fore præsidij putabat, profectus Antiochiam est, vt exercitus pecuniámq; contraheret. Interea Seueri exercitus Bithyniam Galatiámque egressus, cum se mox in Cappadociam quoq; incitasset, oppugnare munitionẽ incepit. ibi multis est laboribus cõflictatus, quippe arcta asperáq; via, lapidésq; superne iaciẽtibus, ac fortissime dimicantibus qui summis insliterant mœnibus, eóque facilè paucis arcentibus plurimos. Etenim angustissima vtique via est, cuius pars altera monte altissimo defenditur, altera per immane præceps defluente montibus aqua redundat: tum valida munitione Niger obstruxerat, vt scilicet vndiq; hostis aditu prohiberetur. Dũ hæc in Cappadocia geruntur, interim seditiones inter se quoq; agitabant pari æmulatione odióque, Laodicea quidem in Syria Antiochenorũ odio, Tyros autem in Phœnicia Berytijs infensa. Quæ, nunciata Nigri fuga, sublatis illius honoribus, Seuero prospere acclamarunt. At Niger audita re, cum quidem Antiochiæ ageret, iure scilicet, homo alioqui benigni mansuetique ingenij, defectione illorum contumeliáq; iritatus,

immittit vtrisq; vrbibus Mauros iaculatores quoscunq; secum habuerat, simul partem sagittariorum, iussos occidere obuium quenq;, diripere vrbes ipsas, atq; incendere. Sed enim Mauri (vt est genus hominum suapte natura cædis auidissimũ, nihilq; non facile audens, ac desperatis simile, contemptu videlicet mortis ac periculorum) Laodicenis de improuiso oppressis, populum ipsum omni genere crudelitatis vrbémq; vastarunt. Inde Tyrum pergentes, direptis omnium bonis, ac patrata ingenti cæde, totam incenderunt. Quæ dum in Syria gerebantur, contrahente copias Nigro, interea Seueriani milites munitionem Tauri montis oppugnabant, tristes vtique, ac citra spem victoriæ. quippe valida inexpugnabilisque per se, monte quoq; ipso præcipitióq; defendebatur. Igitur iam defatigatis, alta aduersariorum securitate, ecce tibi noctu maximi repente ruere imbres, opple ri omnia niuibus, vt sunt difficiles in Cappadocia hyemes, maximéq; ad Taurum montẽ. Quocirca subitus impetu magno erumpit torrens, cursúq; impedito, q̃ munitio exitum prohibebat, maior iam violentiórq; factus, quando artẽ superante natura tantum impetum sustinere munitio non poterat, laxatis pau latim coagmentis, ac fundamentis loco emotis, iter sibi torrens patefecit. Quo animaduerso qui in præsidio erant, metu ne ab hoste circũuenirentur nullo mox futuro propugnaculo simul vnda resedisset, prodita custodia cuncti fuga dilabuntur. Igitur læti Seueriani, confirmatique animos, velut Dijs ipsis im-

Mauri audacissimi.

mortalibus manuducẽtibus, cognito custodes aufugisse, facilè scilicet nullis prohibentibus Taurũ supergressi, in Ciliciam mox impetum fecerunt. His nunciatis, Niger, cum quidem ingentem exercitum, sed pugnæ laborúmq; inscium collegisset, magnis itineribus accelerabat, quãplurimis eũ mortalibus, omnique ferme Antiochenorum iuuentute sequentibus ducem, multa scilicet animorum alacritate, cæterum virtute ac peritia belli nulla ex parte cum Illyrico milite conferendis. Ita concurrerunt ad Issicum quem appellant sinum, longe latéque spatiosissima in planitie, quæ perpetuis subiecta collibus, in theatri speciẽ littus habet à mari longissime excurrens, quasi quoddã belli stadium fabricata natura. quin eodem quoq; loco Darium ab Alexandro ferunt maximo extremóque illo prælio profligatum captúmq;, Septentrionalibus etiam tum viris, Oriẽtis nationes superantibus. Manet adhuc tropæum, & tantæ victoriæ testimonium, vrbs in colle, Alexandria: simul æneum ipsius simulacrum vnde loco impositum nomen. Euenit autem vt Seueri ac Nigri exercituum non congressus modo in eum locum, sed fortuna etiam fortunæ similis fuerit. Vtrinque enim sub vesperam parati ad pugnã cõstiterant: curis dein pauoribúsq; totã noctẽ extraxerant insomnem: statímq; cũ Solis ortu ducibus vtrinq; adhortãtibus incredibili alacritate vtrinq; se incitarunt, tanquã de omni spe reliqua nouissimo illo congressu dimicaturi, disceptante illic super Romano imperatore fortuna. Sed vbi diu pu-

Alexanadri vrbs.

gnatum acerrime, tantaq; edita vtrinq; strages, vt flumina per eã planitiẽ decurrentia, maiore aliquãto vi sanguinis, quàm aquarũ in mare se voluerẽt, fusi tãdẽ profligatiq; Orientales, imminẽtibus à tergo Illyricanis, partim in mare saucij protrudebãtur, partim in colles sũmos fugitãtes, à persequẽtibus obtruncabantur, cumq; ijs vnà vulgus ingẽs hominũ, qui ex vrbibus vicinis agrisq; cõfluxerãt, superne, quasiq; ex tuto loco prælium spectaturi. At Niger valido euectus equo, paucis comitantibus Antiochiam peruenit: vbi fugiẽte passim multitudine, magnóque vbiq; fletu clamoribúsq; natos fratrésq; lugentium, deploratis et ipse rebus suis fugam capit: occultãtique deinse in suburbano quodam, et ab equitibus reperto, caput amputatum. Hunc habuit exitum vitæ Niger, dato cunctationis tarditatisq; supplicio, homo alioqui (vt perhibent) publice priuatimq; minime improbus. Sed occiso Nigro, Seuerus omnes statim illius amicos supplicio affecit, siue qui sponte, siue qui necessitate coacti rebus illius studuissent, militibus tantum qui effugerant, ac trans fluuium Tygrin metu Seueri ad Barbaros abierant, impunitate proposita receptis. Quippe magna vis hominum in ea loca concesserat: quo effectum est vt validiores deinceps Barbari aduersus Romanos conserẽda manu euaserint. Ignari antea pugnare, tantum arcu ex equis, neq; armatura muniti, neq; hasta, gladióve, satis audaces leui pendulaq; veste, plurimum inter fugiendum auersi sagittas intendebãt. Postea vero quàm Romani ali-

quot milites, fabrique nonnulli in eas regiones confugerunt ibi ætatem acturi: non solum armis uti, sed ea quoque fabricari Barbari didicerunt. Rebus autem Orientis ex sententia gestis, atque ut res poscere videbatur ordinatis, cupido iam Seuerũ habebat regem quoq; Atrenorũ bello tentandi, ac Parthorum regionem occupandi, quos utrosq; in societatem Niger adsciuerat. Quibus tãdem rebus in aliud tempus reiectis, cogitare institit quo pacto sibi Romanum imperium liberisq; suis bona fide adiudicaret. Nam sublato Nigro, reliquus erat Albinus, quem sibi parum ex sententia, parúmq; usui fore arbitrabatur, vulgato rumore iam nimis illum impotenter nimísque moleste nomen Cæsaris usurpare, præterea multos esse è primoribus senatus, qui ad eum clàm darent literas hortantes ad reditum absente adhuc occupatóque Seuero. Quippe nobilitas omnis Albinum malebat imperatorem, ortum illustri genere, ac bonæ indolis iuuenem. Quibus rebus cognitis Seuerus, minime utique apertis inimicitijs ac manifesto bello agendum putans, nulla existente causa, quæ saltem specie honesta videri posset, decreuit eum dolo insidiísque tentare. Quare tabellarios aliquot ex ijs qui literas imperatorias perferunt, fidissimos sibi homines cum literis mandatísque ad eum mittit, præmonitos uti redditis publice epistolis, quædam habere se dicerent quæ apud illum remotis arbitris loquerentur. Quare ut primum seorsum à custodibus nacti eũ forent, facto im-

Albini nobilitas.

petu obtruncarent. Quin venena quoq; dedit, quibus eum, si possent, per aliquē ab epulis aut à cyatho aggrederentur. Erat autem illius amicis suspecta Seueri fides. Itaq; cauendum identidem admonebāt hominem perfidiosum, plenum fraudis & insidiarum. Nā vulgo etiam parū constanti fide habebatur, impulsis (vt dictum est) per ipsorum filios Nigri ducibus ad res illius prodendas: dein postquā eorum opera abusus est, suaq; omnia ex sententia composuerat, ipsis liberisque enecatis. Igitur infidum subdolúmq; ingenium res ipsæ declarabant, ob'q; id maiore se custodia Albinus circūmunierat. Neq; enim temere quisquam à Seuero missus ad illum introducebatur, nisi prius deposito militari gladio, sinúque excusso. Postquam igitur a Seuero tabellarij ad eum peruenerunt, redditisque publice literis, habere se dixerunt quædā secretius renūcianda, indulgēs suspicionibus Albinus cōprehendi illico iubet. Dein seorsū explorata re, insidiisque ordine intellectis, vbi noxios supplicio affecit, iam ipse se vt aduersus manifestissimum hostem comparabat. Quibus cognitis Seuerus homo iracundo ingenio, non iam cælandas sibi inimicitias putauit, sed omni conuocato exercitu, huiuscemodi habuit orationem.

Seueri concio ad milites.

Neque leuitatis me quisquā ob anteacta insimulet, neq; infidum aut ingratum putet aduersus eum quem pro amico habuerim. Omnia nos quidē præstitimus, etiam in partem principatus, & quidem stabilissimi, recepto. Quod ne germanis quidē fratribus facilè quisquā indulserit. Quod enim vos mihi vni

detulistis, id ego cum illo cõmunicaui. Tantis autem beneficijs nostris pessimam videlicet gratiam retulit Albinus, cõtempta virtute nostra, suæq; immemor fidei, ardénsq; iexhausta cupiditate id vniuersum periculose præripiẽdi, cuius particeps esse citra bellum ac dimicationẽ vllam potuisset. Neq; deos reueretur, per quos toties iuratus, neq; vestris parcit laboribus, quos tãta cum gloria virtutéq; pro vobis pertulistis. Quippe successuum vestrorum nec ipse fructu carebat: imò autẽ si fidem seruasset, maior illi portio contigisset. Vt autem si ipse author malorum sis, iniustus videare: ita si nõ vlciscare acceptas iniurias, ignauus. Nam cum bellum aduersus Nigrum gessimus, nõ ita sanè speciosas inimicitiarũ causas habebamus. Nõ enĩ quasi raptorẽ occupati à nobis pricipatus oderamus, sed positum eum in medio, atq; adhuc in disceptatione versantem, pari vterq; ambitu ad se trahebat. Verũ Albinus despecto fœdere ac iureiurando, cum sit nostro munere adeptus quæ tantum legitimis liberis tribuũtur, hostis esse mauult nobis, quàm familiaris. Vt igitur pridem beneficio affectum, honore gloriáq; cohonestauimus, ita nũc perfidiosum atq; imbellẽ ipsius animum coarguamus armis. Neq; enim sustinere ille exercit9 poterit exiguus atq; insularis vires nostras. Nam cũ vos propemodum soli alacritate quadam & virtute vestra tã multis prælijs peruiceritis, totúmq; vobis Orientem subegeritis: quis dubitet quin nunc quoq; tantarum accessione virium (quippe hic totus penè Romanus exercitus) facilè profligaturi paucos

sitis, ne sub viro quidem sobrio, nedum sub forti duce militãtes? Quis enim luxuriã illius ignorat, vitámq; hominis subulcorũ potius gregibus, quàm militum legionibus congruentem? Proinde eamus audacter in illum qua solemus alacritate animi atq; virtute, dijs freti authoribus ab eodem impie peieratis, simul memores excitatorum sæpe à nobis tropæorum, quæ scilicet ab ipso despecta sunt. Hæc locuto Seuero, confestim exercitus vniuersus Albinũ hostem declarat: exceptóq; faustis acclamationibus ipso, nihil nõ alacritatis & studij clamoribus ostendentes, magis magisq; hominem spe addita succenderunt. Qui amplissimo donatiuo milites prosecutus, statim vniuersos cõtra Albinum educit, missis item pariter qui Byzantiũ expugnarent, clausam adhuc receptis Nigri ducibus. Quæ deinde vrbs fame capta, totáq; planè diruta: simul theatro thermisque omniq; cultu atque honore detracto, & in vici formam redacta, Perinthiisq; adiudicata est, quemadmodum Antiochia quoque Laodicenis. Tum pecuniæ magnã vim curauit ad reficiẽdas instaurandásq; vrbes quas Nigriani milites deuastauerãt. Ipse iter faciebat sine intermissione, neq; festos dies neq; labores vllos magnopere curans, algoris atq; æstus iuxta patiẽs. sæpe etiam per altissimos montes hyeme sæua, niuibus cælo ingruẽtibus, ibat aperto capite, vt milites ad alacritatẽ patiẽtiámq; laborum re ipsa cohortaretur. Quocirca nõ metu quodã ac lege, sed æmulatione magis atq; exemplo principis ad perferẽda omnia incitabãtur. Misit etiã qui angu-

Principis exempium.

ſtias occuparent Alpium, atq; aditus Italiæ obſiderẽt. Enimuero poſtq̃ nunciatum Albino eſt nihil cũctari Seuerũ, ſed adeſſe iam, ſupinus hactenus, ac delicias agitãs, magno tum metu perculſus, ſtatim è Britannia trãſmittẽs, in aduerſo Galliæ littore caſtra collocauit, literiſq; ad vicinarũ gentiũ præſides miſſis, pecunias cõmeatúmq; exercitibus inuãdis corrogabat. Qui igitur dicto audiẽtes fuerũt, peſſime illud in ſe cõſuluerunt, nullo nõ ſupplicio dein poſt bellum affecti. Qui vero imperiũ detrectauerũt, cũ quidem felicius q̃ prudentius id egiſſent, euaſere incolumes, euẽtu ac fortuna rerũ vtraq; conſilia diſcernentibus. Sed vbi iam in Galliam Seueri copiæ peruenerunt, leues quædam primo pugnæ quaſiq; velitares fuerunt, donec poſtremo apud Lugdunum, magnam vrbem atq; opulentã, prælium in manibus fuit. Nam cum ſe mœnibus tenuiſſet Albinus, exercitus emiſit in pugnam. Vt vero ad manus ventum, diu quidem vtrinq; decertatũ eſt æquis viribus, ſic vt ambigua victoriæ fortuna penderet. Neq; enim Britãni vel animi magnitudine, vel auiditate cædis Illyricis cõceſſerint. Ita conflictu primo valentiſſimorũ exercituum neutrã in partẽ acies inclinabat: atq; vt nõnulli prodiderunt eius ætatis authores, qui nõ ad gratiã, ſed ad fidem loquũtur, longe potior fuit Albini acies qua in parte Seuerus curabat, ſic vt fugerit quoq;, & ab equo deciderit, abiectóq; paludamẽto delituerit. Sed inſequẽtibus iam, vitulantibúſq; Britãnis, ceu planè victoribus, apparuiſſe extẽplo Lætum Seueri ducẽ cum recẽti adhuc exercitu,

Quippe male audijt, quasi euentum pugnæ expectauerit, cunctatus de industria, retento milite, vt sibimet imperium vindicaret. Siquidem non prius in pugnam protulit pedem, quàm vbi Seuerus cecidisse nũciatus. Quam suspicionem etiam deinde euentus approbauit. Quippe rebus omnibus ex sentẽtia mox cõpositis, atq; in maxima securitate agitans Seuerus, cũ quidem cæteros belli duces magnis affecisset præmijs, Lætum ipsum tamen (vt par fuit) memor proditionis morte multauit. Sed ista quidem post fuere: tunc autem conspecto (vt diximus) Læto, spes addita Seuerianis est, ac sublatus in equum Seuerus, & paludamento purpureo circũdatus. At Albiniani iam se victores rati, confusis ordinibus, incitãte se in eos de improuiso valida recentíq; hostiũ manu, cum paulum primo restitissent, terga demum verterunt. Fusos igitur fugatósque eos persecuti Seueriani, magna edita strage ad vrbẽ ipsam peruenerunt. Occisorũ vtrinq; aut captiuorũ numerus, varie, prout visum eius ætatis scriptoribus, proditur. direpta mox incẽsáq; Londinum, & Albino caput abscissum, perlatúmq; ad Seuerum est. Ita duo maxima excita tropæa ad Orientem ac Septẽtriones: sic vt nihil sit quod cum Seueri contentionibus aut victorijs conferas, siue copiarum multitudinem, siue nationum motus, siue numerũ pugnarum, siue itinerum longitudinem celeritatémq; cõsyderes. Nam Cæsaris quidem res aduersus Põpeium Romano vtrinq; milite, magnæ profecto fuerunt: itẽ Augusti aduersus Antoniũ, aut Pompeij liberos: & quæ

Londinũ direpta icẽsáq;.

Seueri laus.

antea à Sylla Marióque ciuilibus externísque prælijs gesta sunt. Sed qui vnus vir treis imperatores rerum iam potitos sustulerit, qui vrbanos exercitus Romam ipsam ac palatiũ obtinentes astu circunuenerit, quíq; vnum è principibus in ipsa palatina aula curauerit occidendum, alterúmq; iterum in Oriente rursus gubernacula rerũ tenentem, appellatúmq; à Romanis imperatorem, tertium porrò Cæsaris honore atq; authoritate præditũ in potestatẽ redegerit, haud facilè alter inuenietur. Hunc finẽ vitæ habuit Albinus, breui sanè lætatus funesto honore. Cæterùm Seuerus omnem statim iram atq; atrocitatẽ animi sui in illius necessarios Romæ effudit: ac primo quidem præmisso ĩ vrbem capite Albini abscisso, iussóq; publice patibulo præfigi, in ima epistola qua de sua victoria populum edocebat, hoc quoq; adscripsit, ideo se caput illud publice in patibulo spectandum misisse, vti exemplum caperẽt quid item ipsis patiẽdum foret. Rebus igitur Britãniæ ordinatis, cũ totius insulæ administrationẽ bifariã dispertisset, itémq; omni Gallia (quẽadmodum quidem videbatur) cõposita ex sentẽtia, suppliciòq; de Albini amicis sumpto siue quos ei sua quenq; voluntas, siue necessitas adiunxerat, cõtinuò Romã proficiscitur, exercitũ secum omnem adducens, quò terribilior videretur. Confectóq; magna velocitate itinere, quẽadmodum cõsueuerat, infestus adhuc superstitibus Albini amicis, Romã intrat, occurrẽte laureato populo, ac magno honore faustísq; acclamationibus excipiẽte, senatúq; vniuerso consalutãte: tametsi plerosq; metus

consternauerat, quòd sibi haudquaquam parsurum re-bantur, immitē suapte natura, & sanguinarium, neq; sanè magna causa indigentem ad inferēdas iniurias, cæterum tunc probabiles odij rationes habiturū. Postea verò quàm in templum Iouis ingressus est, omniáque sacrificia de more peregit, reuersus in palatium, magnóque congiario populum Romanum victoriæ nomine prosecutus, ac numos militibus largitus est, simul alia permulta indulsit, quæ nunquam antea acceperant. Nam & frumenti summam primus adauxit, & aureis anulis vti, & domi habere mulierem permisit. Quæ omnia procul à militari disciplina, succinctos eos paratósque ad bellum minime præstitura videbantur. Primúsque ipse duritiam atque asperitatem victus, tolerantiámque laborum, disciplinámq; omnē, ac ducum reuerentiam subuertit, inhiare pecunijs, & munditias colere militibus insuefactis. His ergo optime pro suo iudicio constitutis, curiā deinde ingressus, sedénsque imperatoria sella, accusare infit truculenta oratione Albini amicos, prolatis etiam quorundam arcanis epistolis, quas apud illum sepositas deprehendisset: quibusdam autem exprobrans quòd eum splendidioribus muneribus affecissent: alijs quòd amici Oriētalibus, alijs quòd Albino fuerūt notiores. Eóq; pacto eximium quenq; è Senatu, tum vt quisque in prouincijs genere aut opibus excelleret, omnes sine discrimine supplicio afficiebat, vlciscens (vt quidem præ se ferebat) inimicos, sed reuera subigente auaritia, qua supra omnes imperatores laborauit. Nam vt animi

Seueri auaritia.

patientia, atque in laboribus perseuerantia, simul rei militaris gloria nemini etiam laudatissimo cõcesserit: ita questui suprà quàm dici posset addictus, iniustis cædibus, atq; adeo cuicuimodi ex causa pecuniã colligebat, imperium metu magis quàm beneuolentia retinens: quanquã popularis esse in primis volebat edendis omnifariam magnificentissimis spectaculis, cẽtenis etiam sæpenumero occisis beluis, quas omnibus regionibus nostris Barbarisque conquirebat. Sed & congiaria dedit vberrima, & certamen proposuit, vndiq; accitis lusionibus atq; athletis. Vidimus item sub illo quosdam omnis generis ludos cunctis editos theatris, simúlque supplicationes, & peruigilia ad formam Cereris initiorum (seculares hi tunc appellabantur) celebratos (vt aiunt) decurso trium spatio ætatum. Siquidem vrbe tota atque Italia præcones itabant conuocatum omnes ad ludos quos nec vidissent hactenus, nec visuri post modo forent. Ita scilicet interuallum præteritæ futuræq; celebritatis supra omnem esse hominum ætatem significantes. Igitur aliquandiu Romæ moratus, participato filijs imperio, cum se ciuili tantum victoria, contráque Romanos exercitus habita, clarum hactenus intelligeret, ex qua etiam triũphum recusauerat: decreuit item Barbarorum inclarescere tropæis. Quocirca prætextu vindicandi Barsemij Atrenorum regis, qui Nigri partes fouerat, exercitum in Orientem eduxit: iamq; in Armeniam facturus impetum, præuentus à rege Armeniorum est, mittente obsides vltro & munera, Seculares ludi

ac suppliciter petente vt sibi cum illo inire amicitiã, fœdúsq; ferire liceret. Quare Seuerus procedentibus ex sententia rebus, in Armeniã perrexit ad Atrenos. Sed & rex Osrhoënorum Augarus ad eundem transfugit: traditisq; obsidio liberis, fidem suã authorauit, sagittariorúmq; vim magnam misit auxilio. Cæterum Seuerus regionem interamnam agrúmque Albenorum transgressus, etiam in Arabiam felicem excucurrit. Illic enim hærbæ proueniunt odoratæ, quæ nos aromata suffimentáq; habemus. Ibi expugnatis vicis vrbibúsque permultis, omnémq; agrum depopulatus, in Atrenorum regionem mox ingressus, Atras circunsedit, vrbem scilicet altissimo impositam monti, ac maximis validissimisque obseptam mœnibus, florẽtémq; ingenti sagittariorum copia. Igitur hanc vrbem Seuerianus exercitus quanta maxima vi poterat oppugnabat: machinæq; omnifariam mœnibus admouebantur, nullo oppugnationis genere prætermisso. Contrà autem Atreni audacter vrbem defensare, sagittásque ac lapides superne iacientes, pessime accipere Seuerianos, etiámq; vasa fictilia volucribus quibusdam venenatisque bestiolis oppleta deuoluere: quæ cum aut oculis innolitarent, aut in apertas corporis partes sensim obreperent, grauiter singulos consauciabant: inciderátq; in morbos Romanus miles, æstum illum cæli nimio Sole preferuidi parum ferẽs, sic vt longe plures ob hos casus, quàm hostili manu interierint. Proinde fatigatis iam & contusis omnibus procedente secus obsidione, ac plus iacturæ quàm lucri

Romano faciente, decreuit exercitum Seuerus, prius quàm vniuersus perierat, deportare ex eis locis, tristem videlicet infecto negocio. Quippe assuetus vincere prælijs omnibus, victum se tunc putabat, quia non vicerat. Sed eũ prospera fors et fautrix statim consolatur. Neq; enim planè rebus infectis redijt, sed maiore quã sperauerat successu. Nam impositus nauibus permultis exercitus vniuersus, nequaquam scilicet quo intenderat, Romanæ appulsus ripæ, sed vndarum impetu Parthorum ad agrum prouectus, haud procul Ctesiphonte: qua in vrbe sedes regis est. Is tunc pacem agitãs, ac nihil ad se pertinere Seueri pugnas autumãs quas gereret cum Atrenis, ociosus videlicet nihil expectabat mali. Cæterum Seueri exercitus cum ad eas ripas vi fluminis inuectus, móxq; in terrã esset expositus, omnẽ illico depopulari agrũ cœpit: abactísq; vt in quæq; inciderant pecoribus ad vescendũ, vicísq; aliquot incensis, paulatim vsq; ad Ctesiphontem perrexerũt: qua in ciuitate magnus rex Artabanus commorabatur. Igitur imparatos nacti Barbaros, cæsis primo quicunq; restitissent, direptáq; mox vrbe, pueris fœminísq; in captiuitatẽ abductis, tantũ ipso rege cum paucis equitibus elapso, thesauris illius ornatúq; omni & supellectile potiti, victores regrediuntur. Ita Seuerus fortuna magis quàm consilio Parthicam victoriam adeptus est. Igitur prospere succedentibus rebus, literas ad Senatum populúmq; Romanũ de se magnificas dedit, ac depictas in tabulis pugnas victoriásq; suas exposuit: nihil

non honorũ decernente Senatu, & super his cognomina imponẽte deuictarũ gentium. Ipse interea rebus ad Orientẽ sic gestis, Romam reuertebatur, filios iam puberes secum adducens. Confectóque itinere, ac prouincijs vt cuique vsus foret ordinatis, Mysorúmque & Pannoniorum recognitis exercitibus, vrbem dein triumphans inuectus est, multis acclamationibus omníque ceremonia populo excipiente. Cui quidẽ ipse festos dies, sacrificiáque, et spectacula ac celebritates indulsit: magnóque dato congiario, & ludos pro victoria celebrauit. Romæ deinde haud paucos moratus annos, ius dicebat frequenter, ciuilibus negocijs, & liberis erudiendis intentus. At illi iam tum adulescentes, delicijs, victúque vrbano, nimióque spectaculorum aurigationísque & saltationis studio bonam indolem corruperant: intérque se fratres dissidebant, puerili primum certamine, edendis coturnicum pugnis, gallinaceorúmque conflictibus, ac puerorum colluctationibus exorta discordia. Nam seu quid in scena audirent, siue item spectarent, semper vtique diuersis accedebant, nusquã iisdem studente vtroque, sed quod alteri charum foret, id alteri statim odiosum: cõmittentibus etiam vtrinque ipsos adulatoribus atque ministris, nihilque non ad gratiam suggerentibus, vt ad se quisque pro virili diuersos retraherent. His cognitis Seuerus reducere in gratiam atque emendare conabatur. Tũ Bassiano, qui tunc honores imperatorios adeptus, Seuerus Antoninus accepto Marci cognomine vocabatur, ac maior natu erat, vxorem dedit filiam

Plautiani, præfecti cohortibus vrbanis. Hic (vt perhibēt) Plautianus ab initio ætatis tenui fortuna fuit, seditionisq; & aliorum criminum reus, ac multatus exilio: sed erat Seueri municeps, Afer natione, atq; (vt quidam putāt) etiā consanguinitate propinquus: vt vero alij affirmāt, flore magis ætatis per stuprū cōciliatus. Hūc autē Seuerus ex parua humiliq; fortuna ad opes maximas prouexerat, ac damnatorū bonis adiudicatis, lōge supra cæteros collocupletauerat, tantū nō imperio quoq; participato. Queis ille opibus licētiaq; abutēs, nihil crudelitatis aut violētiæ, vt quidque ageret, omittebat, cūctis etiā atrocior omniū ætatū principibus. Ergo huius filiā Seuerus vxorē filio suo tradidit. Enimuero Antoninus ipse parū lætus eo matrimonio, ac necessitate magis quā volūtate impulsus, puellā ipsā pariter & puellæ parētē pessime oderat, sic vt ne thorū quidē larémq; cū ea communē pateretur: adeóq; auersabatur, vt minaretur quotidie occisurum ipsam, patrémq;, simul atq; imperiū solus obtimuisset. Quod cū illa identidē ad patrē referret, simúlq; quantopere foret inuisa patefecisset, magnopere hominē iritauit. Igitur Plautianus senē iam Seuerum ipsum cernens, ac morbo sæpe laborantem, contrà vero Antoninum ferocē in primis audacémq; iuuenem, pauidus ob illius minas, decreuit facinus inuadere aliquod prius quàm ipse opprimeretur. Suberant præterea multa quæ hominem ad imperij cupiditatem inflammarēt, opes, quantas nemo antea priuatus possederat: militum præterea obedientia,

& apud omnes Romanæ ditionis homines maximi honores: ad hæc, habitus quo in publicum prodibat. Siquidẽ latum clauum perpetuò habebat, atq; in secundis consularibus numerabatur. Ensem præterea gestabat, cæteráq; omnia supremæ dignitatis insignia: adeo quacunq; incederet, trux atq; horribilis, vt non modo nõ adiretur à quoquam, sed etiã qui fortuito occurrebant, ab eo verterẽt oculos. Quin anteambulones aliquot quacunq; iter faceret, denunciabãt ne quis in proximo consistere, néue illum contueri auderet, sed auerterent vniuersi oculos, terrámq; despectarent. Quæ cum cognouisset Seuerus, ne ipse quidẽ prorsus æqui boni facere, sed molestius iam grauiúsq; ferre, sic vt nonnihil etiam de illius authoritate detraheret, ac persuadere homini conaretur aliquid iam è tanta illa insolentia imminueret. Quorũ impatiẽs Plautianus nõ dubitauit imperium ipsum appetere insidijs. quocirca talia quædã machinatur. Saturninus erat quidã tribunus, qui Plautianũ in primis obseruabat: & cum facerẽt idem omnes, vnus tamen ille maiore quadam venerationis specie magis magisq; homini obrepserat. Hunc sibi igitur fidissimum fore putans, ac solum deniq; commissa tacite habiturum, & imperata factiurũ, vocari ad se sub vesperam iubet: iremotísq; arbitris, Nũc illud, inquit, est, cũ summã imponere manum debeas amori obseruantiæq; tuæ, cuius mihi hactenus dedisti specimen, cúmq; ego remunerare te pro meritis, ac debitam referre gratiã possim. Datur optio tibi, velísne ille ipse euadere quem

Saturninus tribunus.

me nunc esse cernis, atq; huic tantæ potẽtiæ succedere: an perire statim dato contumacis animi supplicio. Neq; tu vel magnitudinem rei pertimueris, vel nomina imperatorum expaueris. Intrare tibi in cubiculũ vbi somnum capiunt, soli nempe licet. Redeunte vice nocturnæ custodiæ, clàm, nullóq; prohibente facilè quod volueris transiges. Nihil est autẽ quòd hic meum iam expectes imperium. Abi modo in aulã principum, quasi aliqua à me mandata habeas arcana & grauia: atq;, vt virum fortem decet, senem vnum ac puerum intra suum vtrunq; cubiculum obtrunca. Nam cum in partem veneris periculi, etiam re confecta in partem maximi honoris succedes. Hæc dicta vt animũ tribuni perterruerũt, ita minime cõsiliũ excusserunt: sed vt homo neutiquã mente captus, (erat enim genere Syrus: ac sunt fermè ad Orientem mortales acerrimis ingenijs) cognito furore ac vecordia, quantúmq; ei liceret minime ignarus, haudquaquã ausus detrectare, ne scilicet continuò daret pœnas, cũ se optata ac lubentia simularet audire, prius adorato illo tanquã imperatore, iam libellũ petebat demandatæ sibi cædis. Quippe mos tyrannis cum aliquẽ indemnatum occidi iubẽt, per literas potissimum iniũgere, ne dein cædis imperatæ nullum relinquatur argumentum. Hic Plautianus cæcutiens nimia cupiditate, dat libellum tribuno: atq; ad cædẽ mittens, admonet diligenter vt interfecto vtroq; principe, prius quàm diuulgetur facinus, se iubeat acciri: quò ante in palatio conspiciatur, quã occupatum imperium quis-

Orientales ingeniosi.

Tyrannorum mos.

quã audiat. Sub hac pactione tribun⁹ digreditur, ac de more totã libere domũ principis peruadit: cognitóq; quàm difficile factu foret, duos ab vno homine principes, et quidem diuersis habitantes cubiculis obtruncari, adit ad Seuerum, & cum ianitoribus agit vt se ad principẽ intromittant: afferre se quæ ad illius salutem pertineãt. Illi hæc Seuero renunciant: qui tribunũ continuò iubet acciri. Ingressus, Venio, inquit, tibi, o domine, vt sanè putat is à quo sum missus, ad cædem tui, carnificináq;: vt egomet opto ac volo, beneficij author tibi & salutis. Plautianus imperium captans insidijs, cædẽ mihi tuam filiiq; tui mandauit, neq; verbis modo, sed & literis. testimonio est hic libellus. Equidem ego recepi facturũ quæ imperaret, ne alter scilicet me detrectante negocium susciperet. Verum ad indicandam rem tibi sum præsto, ne ignarũ illius opprimat audacia. Dicenti hæc tribuno, atque vbertim lachrymanti, non continuò tamen fidem Seuerus habebat. Quippe adhuc in pectore multum ex Plautiani amatorio insederat: quin esse id totũ negocium compositum ac fabulosum suspectabat, ratus filium suum Plautiano infestum, natámq; eius perosum, commentũ esse techinam huiuscemodi, ac mortiferã calumniã. Quare accitum ad se grauiter increpare instititit, quòd in hominẽ amicum atq; domesticũ talia machinaretur. Antoninus autem primo quidẽ deierabat ignarum se totius negocij. Dein instanti tribuno, & libellum ostendenti, animum audaciámq; addebat ad crimen coarguendũ. Sed ille cognito quã

magnũ in discrimẽ venerat, tum præterea haud ignarus quã acceptus Seuero Plautianus foret, neq; non etiã intelligẽs si latuissent insidiæ, parúmq; indicium probaretur, exquisitissimũ sibi impendere suppliciũ, Et quodnam, inquit, o Domini, argumentum amplius, quódve apertius quæritis indiciũ? Sinite egrediar regia, pérq; aliquem fidum mihi hominem significem Plautiano facta esse iam quæ imperauerat. Aderit ille statim re credita, vacuã scilicet regiam occupaturus. Ibi vestri muneris fuerit rem totam deprehẽdere. Iubete modo in ædibus quietem agitari, ne præcognita res omne consilium subuertat. Hæc locutus, fidissimum sibi hominem deligit, qui Plautianum suis hortetur verbis, acceleret, atq; adsit quàm primum, dum vterque princeps iacet. oportere antequam res populo innotescat, intus esse eum, vt scilicet occupata arce, cõstabilitóq; imperio, velint nolint vniuersi, non scilicet principatum adeunti, sed iam planè principi obediant. His creditis Plautianus (erat autẽ iam diei vesper) magnam in spem sublatus, loricam induitur sub vestem, tuendi corporis gratia: simul conscenso vehiculo properat in regiam, paucis modo qui aderant, deducentibus, ratisq; eum magnis de rebus ab imperatoribus acciri. Vt autem in aulam nullo prohibente ingressus est, ignaris quæ agitarentur custodibus, occurrens tribunus, composito dolo salutat imperatorem: dein manu prehensum deducit intra cubiculum, vbi proiecta esse imperatorum cadauera mẽtiebatur: iámque aliquot è corporis sui custodi-

bus Seuerus comparauerat, qui statim ingresso manus inijcerent. At Plautianus, cum longe alias animo spes agitaret: vt ingressus cubiculũ est, cernẽs vtrũq; illic stantem principem, cõprehensúmq; se teneri sentiens, re tanta perterritus, rogare, supplicare, falsa illa omnia, commentum id in se fabulámque excogitatam. Igitur exprobrante hinc Seuero beneficia & honores, illinc Plautiano fidei beneuolẽtiæq; suæ veteris testimonia repetente, paulati labascere Seuerus, atq; adduci Plautiani verbis, donec pars loricæ per scissum vestimẽti apparuit. Qua Antoninus animaduersa, audax iuuenis, et iracundus, ac iam antea homini infestus, Atqui, inquit, ad hæc certe duo quid respõdeas, expecto. Venisti ad imperatores sub vesperã minime accitus: dein quid sibi, rogo, hæc lorica vult? Quis ad cœnam comesationémve armatus accedit? Simul hæc dicens, iubet tribunum cæterósq; qui aderant, illico eum strictis gladijs obtruncare, vt hostẽ manifestariũ. Nihil illi cũctati iussa faciunt iuuenis imperatoris, occidúntq; hominem, & cadauer in viã proijciunt ad vulgi ludibrium. Hunc finem habuit parẽ vitæ Plautianus, inexhaustæ homo cupiditatis. Cæterũ Seuerus duobus præfectis militaribus constitutis, plurimũ in suburbanis, aut circũ maritimas Campaniæ oras agitabat, ius dicens, & ciuilibus negocijs intentus, cupiẽsq; in primis vti Romæ sui liberi bonis moribus instituerẽtur. Nam ludis eos spectaculisq; vehemẽtius studere animaduerterat, quàm principibus cõueniebat: quo fieret, vti studio certaminẽq;

ſemper in diuerſum tendente, etiam animi iuuenum diſtraherentur, quibuſdam quaſi admotis contentionū atq; inimicitiarum facibus. Maxime tamē Antoninus intolerandus ſublato iam è medio Plautiano, terribiliſq; & formidoloſus erat omnibus: tum illius natæ, coniugi ſcilicet ſuæ, quibus maxime artibus aut machinis poterat, exitium intendebat. At Seuerus ipſam pariter cū filiolo quem pepererat, relegauit in Siciliā, datis opibus quātæ ad victum atq; vſum abunde ſufficerent: imitatus in hoc Auguſtum, qui filios Antonij poſtea quàm hoſtis iudicatus eſt, eodem modo tractauerit. Ipſe ad pacem concordiámq; reuocare liberos, & recōciliare vtrunq; alteri conabatur, admonēs identidem veterum fabularum, in quibus plæræq; regum calamitates fraternis ortæ ſeditionibus memorantur. Huc addebat theſauros, templáq; pecunijs plena eſſe: diuitias foris ex vectigalibus accedere: poſſe in tāta opulentia militē largitione teneri: auctas in quadruplum copias vrbanas: tantum ſedere exercitum ante vrbem, vt nulla externa vis, ſeu multitudinē ipſam militum, ſeu corporū magnitudinem, ſeu pecuniæ abūdantiam ſpectes, par inueniri tātis opibus poſſit: ſed ea in nihilum recaſura ipſis inter ſe diſcordantibus, atq; inteſtinum agitantibus bellum. Hæc ille quotidie edíſſerens, precéſq; caſtigationibus admiſcens, reprimere illorum ſpiritus, ac reducere germanos in gratiam ſtudebat. Cæterum omnia fruſtra erāt. Quippe frenos ore depulerāt, proni ſemper in peius: atq; illos adoleſcētes adhuc, in ipſo ætatis feruore, atq; in ſūma

Auguſti pietas.

licentia voluptatũ omniũ iritamẽtis incitatos, etiam adulatorũ ministeria diuersos trahebãt, scilicet qui nõ modo illorũ obsequerentur cupidinibus atq; flagitijs, sed noua semper aliqua excogitarẽt vnde alteri gratum fieret, alter offenderetur. Quorũ etiã nonnullos Seuerus ipse in huiuscemodi ministerijs deprehensos supplicio affecit. Hanc liberorũ suorum vitã, & indecora in spectaculis studia ferẽs grauiter senex imperator, literas à Britãniæ præfecto accepit, quæ docebãt Barbaros illic seditiones agitare, regionémq; omnẽ incursionibus ac depopulationibus vastare: quare maiore manu ad resistendum, vel etiam principis ipsius præsentia opus esse. Lætus ea Seuerus accepit. quippe homo suapte natura gloriæ appetẽtior, post victorias ad Orientẽ Septentrionémq;, & cognomina vtrinque parta, etiã tropæa cõtra Britãnos excitare aliqua cupiebat: ad hæc, filios quoq; abducere ex vrbe, vt procul à munditijs vrbanis, in castris militari vitæ ac sobriæ iuuenes insuescerẽt. Ita expeditionẽ in Britãniam edicit senex iam, & morbo articulari laborans, tanta autẽ animi virtute, quãta nemo vnquã vel iuuenum. Igitur iter ingressus lectica plurimũ vehebatur, nulloq; cessabat loco. Quare cõfecto itinere, spéq; omni ac sermone celerius enauigato Oceano, Britanniam ingressus est: collectisque militibus, ac maximis conflatis viribus bellum cõparabat. Cæterũ Britanni repentino principis aduentu perculsi, auditóq; tantas contra se cõparari copias, legatos ad eum de pace, ac seipsos expurgatũ miserunt. At Seuerus moras de in-

dustria nectēs, ne vacuo sibi Romā redeūdum foret, cupidus victoriæ, cognominisq; Britānici, legatos quidē re infecta domū dimittit: ipse quæ bello vsui forēt, magna solertia cōparabat. Sed in primis tamen curæ habuit pōtibus occupare paludes, vt stare in tuto milites possent, atq; in solido præliari. Siquidem Britāniæ pleraq; loca frequētibus Oceani alluuionibus paludescunt. Per eas igitur paludes Barbari ipsi natāt, excursántq; ad ilia vsq; demersi, ac pleraq; corporis nudi cœnū contemnūt. Neq; enim vestis vsum cognorūt, sed ventrē atq; ceruicē ferro incingūt, ornamentū id esse, ac diuitiarū argumentū existimātes, perinde vt aurū cæteri Barbari. Quin ipsa notāt corpora pictura varia, & omnifariā formis animaliū. quocirca ne induuntur quidem, videlicet picturā corporis ne adoperiant. Sunt autē bellicosissima gēs, atq; auidissima cædis, tantū scuto angusto láceáq; contēti, præterea gladio nudis corporibus dependente: loricæ ac galeæ penitus ignorāt vsum, impedimētū id esse trāsgrediēdis paludibus arbitrātes: quarū vaporibus æstúq; cælū ibi semper caliginosum. Ad hæc Seuerus nihil non cōparabat quod vsui Romano militi, quod detrimēto Barbaris impedimētóq; foret. Vbi vero satis ex sentētia prōpta sibi esse ac parata omnia intellexit, iuniorem filium Getam nomine in parte insulæ Romanis subiecta reliquit, vt iuri dicundo, rebúsq; ciuilibus administrādis præesset: eiq; consiliarios ex amicis natu grandibus reliquit: Antonino secum aduersus Barbaros educto. Trāsgresso igitur Romano exercitu amnes aggeresq;

Britānorū veterum ritus.

eos qui obiecti Barbaris Romanorum fines distermi-
nant, pugnæ quædam tumultuariæ fiebant, & excur-
siones, victore vbiq; Romano. Cæterum facilis erat
ex fuga receptus Barbaris, quippe inter syluas ac pa
ludes & loca ipsis notissima delitescẽtibus. Quæ omnia
Romanis aduersa, moram bello addebant. Interea Se-
uerum iam confectum senio, longior inuasit morbus,
sic vt ipse domi residere, atq; Antoninum mittere in
bellum ad imperatoris obeunda munia cogeretur. Cæ-
terum Antoninus haud magnopere de Barbaris soli-
citus, exercitũ sibi adiungere, & cõfirmare vniuersos
tendebat, vti se vnum intuerentur, soli sibi imperiũ
vindicãs, ac germano identidem obtrectãs. Quin lon-
gior quoq; patris valetudo, ac mortis mora diuturnior
anxiũ videlicet adulescentẽ habebant, sic vt medicis
ministrisq; subinde conaretur persuadere senem vt è
medio q̃ primũ quoquo modo tollerent: donec tandem
Seuerus mœrore magis quàm morbo cõsumptus, vitáq;
defunctus est, clarissimus omniũ imperatorũ bellicis
operibus. Neq; enim aut ciuiles quisquã aduersus ini-
micos, aut externas aduersus Barbaros totidem alius
victorias reportauit. Annisq; duodeuiginti gesto im-
perio decessit, successoribus liberis tanta pecuniæ re-
licta copia, quantam antea nemo: tum ampliore exer-
citu, quàm cui obsistere vlla vis posset. Igitur Antoni-
nus mortuo Seuero summã potestatẽ nactus, cõfestim
vniuersos ab ipso (quod aiunt) lare interficere cœpit.
Nam & medicos supplicio affecit, quòd sibi parum ob-
temperauerãt iubẽti senis maturare necẽ, nutriciósq;

Seueri mors.

Antonini crudelitas.

suos iuxta & fratris, quòd de reconciliandis egissent: ne vno quidem reliquo suæ crudelitati facto ex eo ordine hominū qui in honore aliquo fuerāt, quiq́ue ipsius parentē obseruauerāt. Duces porrò exercitus magnis muneribus ac promissis adhortabatur persuaderēt militibus vti se vnum imperatorē declararent: nullásque non machinas aduersus germanum intēdebat: neque id tamen persuadere militibus potuit. Quippe memores vtrunque à Seuero iam inde à pueritia pari honore cultúque educatū, etiam ipsi parem vtrique obediētiam beneuolentiámque exhibebāt. Igitur Antoninus cognito parum sibi rem aduersus exercitū procedere, icto cū Barbaris fœdere, datáque pace, & obsidibus acceptis decedens illinc, ad matrem iam germanúmque festinat. Congressos reducere in gratiam mater conata, adnitentibus honestissimis quibusque Seueri amicis & consiliarijs. Igitur Antoninus, cum nemo scilicet non eius libidini refragaretur, vi potius quàm volūtate ad cōcordiæ amorisque simulationē adducitur. Ita ambo pari honore imperium gerentes, soluerunt ex Britannia, Romámque cum patris reliquijs cōtendebāt. Nam corpusculo ignibus tradito, cinerem ipsum cum odoribus in vasculum alabastri coniectum Romam referebant, vt videlicet in sacris principum monimentis componeretur. Ipsi exercitum deportantes, victorésque iam Britanniæ, in aduersam Galliam emenso Oceano peruenerunt. Quo igitur pacto & diem suum obierit Seuerus, & liberi eius imperium susceperint, in hoc volumine demonstratum est.

Seueri cineres Romā relati.

HERODIANI LIBER QVARTVS.

RES gestas Seueri principis per annos duodeuiginti, superiore libro sumus persecuti. Porrò antè ipsius liberi adulescẽtes iam vnà cum matre Romã festinabant, seditiones etiã tum in itinere agitãtes. Quippe diuersorijs mensáq; nunquam eisdem vtebantur: multúmque suspicionis in cibo omni, potúq;, ne alteruter antè capto tempore, ipse clàm aut per ministeria veneno rem gereret. Ob eámque causam etiam iter properantius faciebant, tutius rati victuros vbi iam in vrbem peruenissent, diuisáq; inter se regia, amplis ac spatiosis ædibus, maioribus etiam reliqua vrbe, pro suo vterq; arbitrio separatim agitarent. Postquam verò in vrbem peruẽtum, populus eos vniuersus laureatus excepit, & Senatus cõsalutauit. Præibant igitur principes ipsi cum purpura imperatoria, pòst sequebãtur Consules vrnam cum Seueri reliquijs gestantes. Qui autem nouos imperatores consalutauerant, progressi deinde, vrnam quoq; ipsam supplices adorabant. Ita comitati, magna pompa cõposuerunt ipsum in templo vbi Marci ac superiorum principum sacra visuntur monimẽta. Re igitur diuina, ceremonijsq; de more cõcelebratis, vterq; in regiam discedunt, partiti inter se domum, ianuisq; secretioribus obstructis, publicis tantum atq; atriensibus promiscue vtentes. Quin & custodes corporis separatim sibi delegerunt, vix vnquã

Seueri sepultura.

congrediẽtes, nisi pauxillum duntaxat, vt in publico à multitudine ipsa conspicerentur. Sed in primis tamen iusta parenti persoluerũt. Mos est enim Romanis consecrare imperatores qui superstitibus filijs vel successoribus moriuntur: quiq; eo sunt honore affecti, relati dicũtur inter diuos. Est autem tota vrbe quasi luctus quidam festæ celebritati promiscuus. Quippe functum vita corpus ritu hominũ sumptuoso funere sepeliunt: sed certam imaginem defuncto quàm simillimam fingunt, eámque in regiæ vestibulo proponunt supra eburneum lectum maximum atque sublimem, vestibus instratum aureis. Et quidem imago illa ad ægroti speciem pallida recumbit. Circa lectum vero vtrinq; magnam partem diei sedent, à læua quidem Senatus omnis vestibus atris amictus, à dextra vero matronæ quas virorũ aut parentũ dignitas honestat: harúmq; nulla vel aurum gestans, vel ornata monilibus cõspicitur, sed vestibus albis exilibus indutæ mœrentium speciem præbẽt. Hæc ita per septẽ dies continuos faciunt, medicis ad lectum quotidie accedentibus, inspectúmq; velut ægrum deterius se habere subinde pronunciãtibus. Dein vbi iam visus obijsse diem, lectum humeris attollunt equestris senatoriiq; ordinis nobilissimi ac lectissimi iuuenes, pérq; viam Sacrã in vetus forũ deferunt, vbi magistratus Romani deponere imperiũ consueuerãt. Vtrinq; antẽ gradus quidam sunt ad scalarũ similitudinẽ extructi, i quibus altera ex parte puerorũ chorus est è nobilissimis atq; patricijs, altera fœminarũ illustriũ hymnos in defunctũ

Romanorũ cõsuetudo in cõsecrandis imperatorib9 seu inter diuos referendis.

pæanásq; canentium verendo ac lamentabili carmine emodulatos. Quibus peractis, tollunt iterum lectum, atq; extra vrbem perferūt in Martium campum: vbi qua latissime campus patet, suggestus quidam specie quadrāgula lateribus æquis assurgit, nulla præterquā lignorum ingentium materia cōpactus in tabernaculi formam. Id quidem interius totū est aridis fomitibus oppletum, extrà autem intextis auro stragulis, atq; eboreis signis, variisq; picturis exornatū. Infrà vero alterū minusculum quidem positū est, sed forma & ornatu persimile, portis ianuisq; patentibus. Tertiúmq; item & quartū semper superiore cōtractius, ac deinceps alia, donec ad extremum, quod est omniū breuissimum, perueniatur. Possis eius ædificij formam comparare turribus ijs quæ portibus imminentes, noctu igne prælato naues in tutas stationes dirigūt: Pharos vulgo appellant. Igitur lecto in secundum tabernaculum sublato, aromata & suffimēta omnis generis, fructus, hærbásq;, succósque omneis odoratos conquirunt, atque aceruatim effundunt. Quippe neque gens est, neq; ciuitas, neq; qui honore vllo aut dignitate præcellat, quin certatim pro se quisq; suprema illa munera principis honori deferant. Vbi vero ingens aromatum aceruus aggestus est, ac locus omnis expletus, tum circa ædificiū illud adequitāt, vniuersis equestris ordinis certa quadam lege, ac recursu motúq; Pyrrhichio numeróq; in orbem decurrētibus. Currus itē circumagūtur insessi purpuratis rectoribus, qui personas ferāt ducum omniū Romanorū principúmq; illustriū.

Pharos.

Quæ vbi celebrata sunt, facem capit imperij successor, eámq; tabernaculo admouet. Tum cæteri omnes vndiq; ignem subijciunt, cunctáq; illico fomitibus illis aridis odoramentísq; referta igni valido corripiũtur. Mox ab extremo minimóq; tabernaculo tanquã è fastigio quodam simul cum subiecto igni aquila dimittitur, quæ in cœlũ creditur ipsam principis animam deferre: ac iam ex illo vnà cum cæteris numinibus imperator colitur. Ita consecrato parente, reuersi domũ iuuenes, discordias quotidie & simultates exercere, insidiari inter se, moliri, parare omnibus modis, atq; ea modo vterq; in animo habere, quibus alter dolo caperetur: postremo quacunq; via grassari ad singulare imperium, ac nihil inuicem prætermittere dum consortem potestatis expungerent. Sed et mentes animique omniũ vrbanorum quicunq; honore aliquo aut dignitate præstarent, diuersi trahebantur, vtroq; seorsum literas clanculum missitante, magnísq; pollicitationibus sibi homines adiungẽte. Maior tandem pars ad Getam spectabat, quòd opinionẽ nõnullã ostẽderet probitatis, moderatúmq; se & lenem in cõgressibus præstaret: studia porro tractabat honestissima. Quippe & disciplinarum laude celebres circa se frequentes habebat, & in palestra ac reliquis ingenuis exercitationibus versabatur. Placidus præterea in omnes, atq; humanus, fama & gloria quadã optima plurimos ad amicitiam beneuolentiámq; alliciebat. Cõtrà vero Antoninus cuncta asperius ferociúsq; gerebat, atq; ab ijs rebus quas supra

Getæ ingeniũ

Antonini ingenium.

diximus, alienus, militaris vitæ ac bellicæ videri amator affectabat: nihilq; non iracunde faciens, minitãdo quã suadẽdo, metu quã beneuolẽtia sibi amicitias quærebat. Sed cũ diu frustra mater discordanteis inter se germanos redigere in gratiã studeret, visum aliquãdo ambobus est imperiũ inter se diuidere, ne Romæ agitantes, alter alterius essent insidijs opportuni. Quare conuocatis paternis amicis, coram ipsa matre de imperio diuidẽdo disceptabãt, sic vt Europa omnis Antonino, tellus autem aduersa, quæ omnis Asia nuncupatur, Getæ adiudicaretur. Ita enim diuina quadam prouidentia vtrãq; continẽtem Propontidos incursu disterminari. Placebat autem vt Antoninus castra ad Byzantium haberet, Geta vero in Calchedone Bithyniæ vrbe: quæ scilicet opposita inter se, vtriusq; imperium tuerentur, atq; à transmittendo prohiberent: tum vt è senatorio ordine quotcunque ex Europa forent, in vrbe ipsa remanerent, reliqui Getam sequerentur. Sedes imperij sui Geta destinabat Antiochiam, vel Alexandriam, vrbes magnitudine haud longe infra Romã. Tum ex gentibus ad meridiem habentibus, Mauros Numidásque Antonino concedens, reliquos ad Orientem vsque Geta sibi adsciscebat. Hæc dum illi agitarent, reliquis omnibus mœsto vultu terram intuentibus, ita Iulia mater locuta est. Terrã quidem & mare, o filij, iã inuenistis quo pacto diuidatis: et continentem vtrãq;, vt dicitis, pontici discriminant fluctus. Matrem vero quonã modo diuidetis? Quonam

Iuliæ oratio.

modo infelix ego distribuar inter vtrũq; vestrum, aut dissecabor? Me primã igitur occidite, dimidiámq; vterq; apud se partẽ sepeliat, vt ego quoq; inter vos cũ mari terráq; ipsa diuidar. Hæc locuta multis cũ lachrymis eiulatúq;, manus ambobus inijciens, complexa vtrũq; reconciliare inter se conabatur. Quare coorta miseratione, cuncti discessere improbato cõsilio: ipsiq; in ædes suas reuersi. Sed gliscebat in dies odium atq; discordiæ. Nam siue duces ac magistratus aliqui eligerentur, vterq; amico suo potissimum suffragabatur: siue ius dicerent, semper diuersa sentiebant, magno illorũ periculo cuia res agebatur. Pluris enim studiũ suum, quã ius aut æquũ faciebant: etiã in ludis ipsis diuersarũ semper factionũ. Nihil præterea insidiarum omittebant, coquos identidẽ & pincernas conati ad veneficia impellere. Quæ vbi tardius procedebant, quòd scilicet vterq; magna diligentia curáq; cibum capesserent: postremo impatiẽs Antoninus, atq; imperij totius cupidine instigatus, deliberat magnum aliquid vel facere, vel pati: ferrũq; & cædem molitur. Et quando secus processerant latentes insidiæ, necessarium putabat periculo omni ac spe posthabita, quouis modo inceptum patrare. Quare irrupto fratris cubiculo, nihil eũ tale expectantẽ supra matris pectus multo vndãtẽ sanguine sæuus obtrũcat. Quo facto exilit statim, ac per totam regiã currens clamitat magnũ se periculũ effugisse, vixq; euasisse incolumẽ. Simul imperat militibus regiæ custodibus, raperent illico se, atq; in castra deducerẽt,

Antonini cupido.

vbi tutius asseruetur, periturum dictitans si diutius in ædibus moram trahat. Illi pro veris ea dicta accipientes, simul ignari quæ intus gesta, currentem eum currentes & ipsi comitantur. fit ingens populi tumultus, raptim agente se sub vesperam principe mediam per vrbem. Vt autem castra attigit, ædiculāq; eam intra quā signa ac simulacra exercitus adorantur, procidēs humi gratias agebat, votis quasi pro salute susceptis. Ea re militibus nūciata, partim iā lauātibus, partim requiescētibus, statim illuc omnes exterriti feruntur. Ille progressus in mediū, non quidē cōtinuò rē ipsam prout erat gesta fatebatur, sed effugisse periculū clamitabat, insidiásq; inimici hominis atq; hostis, (nam ita fratrē appellabat) vixque tādē post longū certamē aduersarios superatos: quippe vtrisq; periclitantibus, se postremo vnicū imperatorē fortunæ relictū dono. Talia quædā obliquās atq; innoluēs, intelligi quæ fecisset, quā audiri malebat. Tū pro salute, imperióq; suo singulis militibus Atticarū drachmarum duo milia supra quingentos pollicetur, prætereáq; annonæ suprà quā sueti accipere, dimidiū. Iubet item iam tū ex tēplis thesaurisq; sibi ipsos pecuniā sumere largiter: effusis vno die quæcunq; per duodeuiginti annos Seuerus collegerat atq; recondiderat alienis calamitatibus. At milites tanta pecuniæ magnitudine illecti, totóque iam negocio intellecto, vulgata passim cæde per eos qui ædibus effugerant, vnum illum declarāt imperatorem, Geta hoste appellato. Igitur ea nocte moratus in templo Anto-

ninus, ac fretus largitionibus quibus sibi milites adiũxerat, contendit postridie in Senatum toto stipante exercitu, sed armis instructiore quã consueuit principem deducere. Ingressus deinde, vbi rem diuinam fecit, conscendit sellam imperatoriam, atq; ad hunc modũ verba facit. Nõ me quidẽ fugit, omnem domesticorum cædem, statim atq; auribus inciderit, odiosam videri: noménque ipsum vt primum audiatur, afferre grauem calumniam. Quippe infelices misericordia, potẽtes inuidia sequitur: ac victus accepisse, victor attulisse iniuriam videtur. Cæterum si quis vero magis iudicio, quã studio erga defunctum aliquo rem ipsam expendat, causámq; eius & consilium exquirat, facilè scilicet inueniet rectum esse & necessarium vindicare magis, quã accipere iniuriam. Quippe ad occisi calamitatem etiam infamia timiditatis accedit. Victor præterquã quòd incolumis est, etiam gloriam retulit fortitudinis. Ac cætera quidem quæ sæpe in me cũ veneficijs, tum omni genere insidiarum intendit, facile vobis est exquirere tormẽtis. Quippe idcirco adesse omnes illius ministros imperaui, vt verũ deprehendatis. Sũt autem nonnulli quoq; ex his iam torti, quorum exaudire confessionem possitis. Postremo autem, cum ego apud matrẽ forem, venit ille in me quosdam secum adducens gladijs accinctos: sed ego re præcognita, vltus hostẽ sum. Neq; enim iam aut fratris mentem gerebat, aut fraterna moliebatur. Vlcisci autem illum qui prior insidietur, vt iustum est, ita vsu quoq; iam receptum. Quippe

Antonini concio.

ne ipse quidē vrbis huius conditor Romulus germanum pertulit suis tantum operibus illudentē. Taceo Germanicum Neronis, ac Titum Domitiani fratres. Marcus ipse philosophiæ simulator ac mãsuetudinis, Lucij generi sui contumeliã non pertulit. Ego vero venenis comparatis in me, gladióq; impendente, vltus hostem· quippe hoc illi sua opera nomen imponebant. Vos autem Dijs gratias agite, quòd alterũ vobis principem seruauerint: neq; mentes vestras in diuersa partiti, sed vnum tantum spectantes imperatorem, vitam securi traducite. Imperium autem Iupiter sicut ipse inter Deos solus possidet, ita vni tantum mortalium adiudicat. Hæc locutus magna voce, irarúmq; plenus, ac truculento vultu illius amicos intuens, trementibus pallentibúsq; plerisq;, in regiam reuertitur. Continuo igitur cœpti occidi domestici omnes fratris, atq; amici, quique in ædibus habitabant quas ille incoluerat, ministriq; item vniuersi, sic vt ne ætati quidem infantium parceretur. Porro ipsa cadauera plaustris omnibus per contumeliam imposita, atq; extra vrbem exportata, aceruatim aut temere iniecta rogis comburebãtur: nec quisquam superfuit ex ijs qui leuem modo cum Geta notitiam habuisset. Athletæ etiam, & aurigæ, atq; omnifariam histriones, & quicquid deniq; vel oculis illius vel auribus iucundum fuerat, passim occidebãtur. Præterea senatorij ordinis quicunq; aut nobilitate aut opibus excellerent, minima quaq; de causa, vel planè nulla, quantũlibet leui delatione pro illius amicis interime-

Antonini immanis crudelitas.

bantur. Quin & Commodi sororē iam anum, atq; ab omnibus imperatoribus, vt Marci filiā oportuit, magno in honore habitam, morte affecit, causatus quòd Getæ necē apud ipsius matrē defleuisset. Et cōiugē quondā suā Plautiani filiā, quæ fuerat in Siciliā relegata, ac consobrinū Seuero cognominē, filiúmq; Pertinacis & Lucillæ Cōmodi sororis, postremo quicquid ex cognatione imperatoria, aut in senatu ex patricia nobilitate supererat, planè quasi ab stirpe abscidit: ducésq; prouinciarum vniuersos, ac procuratores, veluti Getæ amicos neci dedidit: totæq; noctes cædēdis plurifariam mortalibus impendebantur. Sed et Vestales virgines viuas obruit terra, quasi temerata virginitate. Deniq;, id quod nunquam aliàs factitatum, cum Circenses spectante eo, populus Romanus in aurigā cui studebat, nescio quid cauillatus esset, ratus sibi contumeliā illatam, repente omnem exercitum facere impetū iussit in populū, ac raptare & occidere quicunq; in aurigam dixissent. At milites accepta semel violādi rapiēdiq; potestate, cū discerni à reliquis nequirent qui fuerant proteruius locuti, nullo scilicet in tanta multitudine verū fatente, passim vt in quenq; inciderant, aut occidebant, aut omnibus ereptis, quasi salute redēpta, viuos ægre dimittebāt. His actis, stimulante malorū facinorum conscientia, vitámq; perosus vrbanam, statuit Roma secedere, vt & milites ordinaret, & prouincias inuiseret. Igitur Italia decedens, ad ripas Danubij peruenit, ac partes imperij Romani Septentrioni subiectas. Ibi aut cor-

Lucilla Commodi soror occisa.

pus exercebat aurigando, cædēdisq; comminus omne genus beluis: aut ius dicebat: rarius id tamē: statimq; sententiā ferens, ac respondēs, pauculis dūtaxat auditis. Cæterū Germanos illic sibi omnes adiūxit, atq; in amicitiā conciliauit, sic vt ex his socios bellorū, & custodes corporis validissimum quenque & pulcherrimum sibi adsciuerit. Sæpe etiam Romano cultu deposito vestē Germanicam induebat, atq; in eorum sagulis argento variegatis conspiciebatur, etiam flauā capiti cæsariem imponens, ad modum Germanicæ tonsuræ. Quibus læti Barbari, mirifice eum diligere: gaudere etiam Romanus miles, quem scilicet ille amplissimis largitionibus prosequebatur. Ipse nullum nō militiæ munus prompte obire: et siue quid fodiendum foret, primus fodere: siue pons flumini imponēdus, aut extruendus agger, siue quod opus manuum faciēdum, aut labor subeundus, primus omnia occupare: tenuiq; mensa, ac ligneolis poculis vasisq; esculentorum contentus esse: panémq; etiam temere factum comesse. Quippe tritico quantum satis vni foret, sua manu molito, massáq; inde facta, atque in carbonibus decocta vesci solitus: omnia denique elegantiora aspernari: & vilissimis quibusque, ac vel pauperrimo gregarióque militi facillimis vti. Tum commilitonem quàm principem vocari se malle: ac plerunque iter facere perinde atque ipsi, pedibus ambulās, raróque vehiculum conscendere, aut equum: sibi ipse portare arma: nonnunquam etiam signa militaria longissima, & aureis ornamentis prægrauia, ac ne ro-

Antonini tolerantia.

bustissimis quidem militibus facilia, ipse humeris subire. Ob hæc igitur aliáq; huiuscemodi vt hominẽ militarem diligere eum suus exercitus, & vt virum fortem admirari. Quippe instar miraculi videbatur tãtulæ hominem staturæ tantis esse laboribus parem. Sed vbi milites apud Danubium ordinauit, atque in Thraciam Macedonibus conterminam discessit, continuò Alexander alter euasit. Nam & memoriam regis eius omnibus modis renouauit, statuis imaginibúsque nulla non vrbe poni iussis: Romámq; ipsam, Capitoliúmq;, & templa vniuersa refersit Alexandri simulacris. Vidimus item imagines nonnullas ridicule depictas, quæ vno corpore duas facies præferrẽt, Alexandri, atq; Antonini. Ipse prodibat Macedonico habitu causiam gestans & crepidas: ac lectissimam iuuenum manum in exercitu, phalangem Macedonicam appellabat: iussis ducibus nomina sibi ducum Alexandri imponere. Præterea iuuenes Sparta accitos, Laconicam & Pitanaten centuriam vocabat. His igitur actis, atq; vrbibus prout quanq; potuerat ordinatis, Pergamum adit Asiæ ciuitatem, vt Æsculapij curationibus vteretur. Quo postquam peruenit, somnijs quę diu voluit captatis, Ilium mox petijt: & cunctis vrbis reliquijs collustratis, ad Achillis tumulum processit: eóque coronis floribúsque magnifice exornato, rursus imitari Achillem cœpit. Sed Patroclum desyderante aliquem, libertorũ omnium charissimus Festus, à memoria, dum ad Iliũ moratur, vita defunctus est, veneno (vt quidam aiebant) extinctus, quò scilicet

Alexãdri memoria renouata.

Patrocli more sepeliretur: vt alij affirmãt, morbo interceptus. Huius igitur cadauer efferri iussit, compluribúsq; lignis rogum strui. Dein imposito i mediũ, mactatísque omne genus animalibus, subiecit ignem, phialámq; manu tenens, vinúmq; libans, ventos precabatur. Cúmq; esset raro capillo, & crinem quæreret vt imponeret ignibus, deridiculo erat omnibus: cæterũ quos habuit capillos, tamen totondit. Laudabat autẽ ex omnibus ducibus præcipue Syllam Romanum, & Afrum Hannibalem: quibus etiam statuas atq; imagines excitauit. Decedens autem Ilio Asiáque omni, & Bithynia gentibúsq; reliquis pertransitis, atq; vbiq; rebus compositis, deuenit Antiochiam: ibiq; exceptus honorificentissime, atq; aliquandiu moratus, Alexandriam contendit, prætexens huic itineri desyderium visendæ vrbis ab Alexandro constructæ, simul consulendi patrij illorum numinis: quod egregie incolæ venerantur: ac simulans hæc duo, in primis religionem dei, & herois memoriã, iubet hecatombas comparari, ac parentationes omne genus. Quod vt primum est Alexandrinæ multitudini nunciatũ, leuissimæ suapte natura, & omnibus momentis expositæ, studium beneuolentiámque principis omnes quasi animorũ impotes accipiebant. Igitur ad excipiendum illum se cõparabant, quanto nunquam antea honore consueuerant. Quippe omnifariã musica instrumẽta disposita vbiq; varium edebant sonitum. Præterea aromatum ac suffimentorum vapor omne genus additus, cunctos optimis replebat odoribus: tedis præterea, & florum spar-

Alexandrini leues.

ſionibus honorabant. Sed vbi in vrbem iam peruenit, primo quidem templum ingreſſus eſt, multiſq; victimis immolatis, ac thure cumulatis altaribus, ad Alexandri monimentũ ſe contulit: paludamentúmq; purpureum, & claris ſpecioſiſque gemmis anulos conſpicuos, balteúmque, & ſiqua alia geſtabat elegantiora, dempta ſibi, tum illius impoſuit tumulo. Hæc cernentes Alexandrini, læti ſupra modum, noctibus totis ac diebus feſtum celebrabant, ignari quid intra vlceratũ pectus imperator occuleret. Hæc enim omnia per ſimulationem faciebat, vt vniuerſam illorum multitudinem contrucidaret. Latentis odij cauſa talis erat. Nunciatũ ei fuerat Romæ agenti, viuo adhuc patre, atq; itẽ pòſt extincto, multa in ipſum dicere Alexãdrinos. Sunt enim homines ſuapte natura dicaces, atq; ad deſcribẽdum illudendúmq; maxime facti, iactãtes in optimum quenq; & potẽtiſſimum dicteria quædam, vt quidem ipſi putãt, feſtiua: vt autẽ vidẽtur ijs in quos dicuntur, longe grauiſſima. Quippe huiuſcemodi iocorũ vel maxime illa permouent, quibus delicti veritas arguitur. Quare cum multa ĩ eum dixiſſent, ne diſſimulata quidem fraterna cæde, matrémque etiam Iocaſtam vulgò appellarent, irriderétq; ipſum quòd tantulæ homo ſtaturæ Alexandrũ atq; Achillem maximos ac fortiſſimos heroas æmularetur: dum ludere ſe putãt, eo impulerunt Antoninum, hominem ſuapte natura iracundum atque ſanguinarium, vt perniciem illis inſidiáſque moliretur. Igitur celebritate ac feſto iam peracto, cum videret maximam hominum

Alexandrini dicaces.

Iocorum conditio.

multitudinem ex vicinis regionibus cõfluxisse in vrbem, monuit edicto vt in planitiem quãdam iunctus vniuersa conueniret, velle affirmans, sicuti Macedonicam Spartanámque habebat, ita etiam in Alexandri honorem ipsius herois cognomento phalangem constituere. Iubet igitur cõsistere iuuenes vniuersos relicto interuallo, vt singulorum ætatem, staturámque, & corporis habitudinem militiæ idoneam considyeraret. His creditis iuuenes, ac verisimili spe ducti, ob insignem honorem paulo antè exhibitum principi, conueniunt frequentes vnà cum parentibus atque germanis, lætis gratulantibúsque. At vero Antoninus singulos inter se distantes circumiens, contrectánsque, & aliud in alio laudans præteribat, donec illos neque id animaduertentes neque expectantes vniuersus circunueniret exercitus. Vt vero coniecturã fecit iam esse omnes militũ suorum armis inclusos, quasíque retibus implicitos, ipse statim cum suo præsidio excessit, ac signum militibus dedit. Qui statim facto vndique impetu, deprehensam in medio inermem iuuentutem, cæterósque qui aderant, magna cæde contrucidant. Atque è militibus alij cædem tantum faciebant, alij foueis ingentibus cadauera obruebant, aggestáque desuper humo immanem tumulum excitarunt. Multi etiam in eas foueas seminiui protrahebantur, multi adhuc integri detrudebantur. Sed & milites nonnulli simul perierũt. Nam qui reliquias adhuc aliquas spiritus retinebãt, neque penitus defecti erant viribus, impliciti proruentibus se militibus, eos quoque secum trahebãt in foueã. Tanta est antẽ facta

Fraudulẽtum Antonini cõmentum.

cædes, vt riuis cruoris per planitiem decurrentibus, cum fauces ipsæ Nili ingentes, tum littus omne circa vrbem purpurasceret. Sed affectans Parthici cognomen, famámq; deuictæ ad Orientem Barbariæ, quanquam in altissima pace, tale quiddam machinatur. Dat literas ad regem Parthorũ Artabanum, simúlq; legatos cum muneribus mittit materiæ & artis cõspicuæ. In eis literis fuerat scriptum, velle se regis filiã ducere in matrimonium: principem se esse, & principe natũ: quare haud decorũ priuati cuiusquam & tenuis fieri generũ, sed reginã ducere potius, filiámq; magni regis. Duo maxima imperia esse, Romanum, & Parthicum. Quibus affinitate illa in vnum coëuntibus, ac nullo iam discriminante fluuio, vnam tantum potentiam factum iri, nullis expugnabilem viribus. Nam reliquas Barbaras nationes, quæ nũc amborum imperijs subiectæ sunt, facilè iugum toleraturas si proprios gens quæq;, & conuentus sit habitura rectores. Esse Romanis pedestrem exercitum, qui hastis & stataria pugna cæteros antecellat: Parthis vero equitatum plurimum, peritissimósque sagittarios. His igitur cõcurrentibus, & quæ vsui ad bellum sunt, in vnũ conspirantibus, facilè ipsos sub vno diademate totius orbis terrarum imperium retenturos. Præterea odoramenta quæ apud illos proueniant, telásq; laudatissimas, contráq; apud Romanos metalla ipsa, & quæcunq; arte aliqua conspicua visuntur, non iam vix, raróq;, & clanculum per mercatores importatum iri, sed in vna duntaxat terra, vnóque imperio: commu-

némque fore vtrisq; vsum rerum omnium, minimésq; impeditum. His literis Parthus acceptis, primo quidem abnuere: negare Romano cõuenire Barbarum matrimonium. Quam enim fore concordiam neq; voce satis congruentibus, & victu habitúq; inter se distantibus? Esse Romæ patricios permultos, quorũ sibi ille optare liberos in matrimoniũ possit, sicut itidem apud se Arsacidas. Neq; vllam sanè extare causam cur alterutrum genus adulteretur. Hæc igitur à pricipio rescribens, conditionẽ aspernabatur. Sed instanti Antonino, donisque & iureiurando fidem studij sui & charitatis vxoriæ facienti, credidit Barbarus: ac pollicitus daturum filiam, generum iam ipsum appellitabat. Cuius rei vulgata mox fama, Barbari scilicet omnes ad Romanum suscipiendum principem se comparabant, spe quadam sempiternæ pacis exultantes. Cæterum Antoninus prohibente nullo fluuios transgressus, ac iam Parthicam regionem quasi propriam peragrans, sacrificantibus passim vniuersis, supráque coronata altaria odores incẽdentibus, lætum se honore illo Barbarorum magnopere simulabat. Postea vero quàm magno itinere facto ad ipsam Artabani regiam appropinquabat, occurrit ei rex in quadam ante vrbem planitie, nouum nuptum excepturus, generúmque suum. Sed Barbarorum magna multitudo floribus indigenis coronati, atque induti vestes auro diuersisq; coloribus varias, festum agitabant, ad tibiarũ fistularúmq; & tympanorum sonitus saltantes numerose. Quippe huiuscemodi tripudijs supra modum de-

lectantur, præsertim cum se temeto largius inuitarunt. Sed vbi omnis multitudo confluxit, ac relictis equis, pharetrisque & arcubus depositis, inter libamina & calices agitabant, collectíq; in vnum Barbarorum quàm plurimi temere inordinatique constiterant, nihil suspectantes mali, sed pro se quisque studentes videre nouum nuptum, tum signo dato Antoninus militibus imperat impetum cædémque in Barbaros faciāt. Illi re subita perterriti, cædentibus sauciantibúsque Romanis terga obuertunt. Ipse Artabanus à suis stipatoribus raptus, atque equo impositus, vix ægréq; cum paucis fugiens elabitur: reliqua vero multitudo Barbarorum passim cædebatur. Quippe neque equos habebant, quibus maxime vtuntur, (descenderant enim ex ijs, pastúmque dimiserant) neque ipsi euadere fuga poterant, impediente cursum fluxa veste ad pedes vsque deducta. Porrò pharetras aut arcus omnino nō attulerant. Nam quid illis opus ad nuptias? Ita ingenti cæde Barbarorum facta Antoninus, prædáque, & hominibus magna copia captis discedit resistente nullo, vicísque & vrbibus incensis, data potestate militibus rapiendi quod quisque posset, aut vellet. Hanc igitur calamitatem haud opinato Barbari acceperunt. Antoninus autem regionem Parthicam penitus ingressus, defessis iam rapiendo cædendóque militibus, reuertitur in Mesopotamiam. Indéq; Senatui populóque Romano per literas significat subactum à se Orientem, cunctósque illius regni mortales in suam ditionem cōcessisse. At Senatus

quanquã totius negocij gnarus (quippe principum res latere nullo pacto possunt) metu tamen atq; assentatione cunctos illi honores victoriæ decernunt. Substitit autẽ post id Antoninus in Mesopotamia studio aurigandi, ac beluarum venationibus intentus. Erant præfecti exercituũ duo, Audentius, & Macrinus: quorum alter senex iam, rerúmq; ciuilium planè rudis, haud tamen imperitus rei militaris habebatur. Alter & in foro versatus, & legum consultissimus. In hunc igitur, vt parum militarem, miniméq; fortem virum, publice nonnunquam princeps cauillabatur, nec conuitijs quidem abstinens. Nam audito illum & victum vsurpare liberaliorem, & aspernari vilissima abiectissimáq; cibaria, quibus Antoninus militariter delectabatur, chlamydémque & vestem cæteram ad vrbanum modum gestare: quasi degenerem ipsum, morbóq; muliebri laborantem calumniabatur, minitans etiam occisurum. Quorum impatiens Macrinus, vehementer exacerbatus est. Accidit autẽ res huiuscemodi. Quippe habitura finem aliquãdo fuerat Antonini vita. Nam cum suapte natura curiosior esset, non hominum modo res cognoscere studebat, sed deorum dæmonúmque etiam rimari arcana: metúq; semper insidiarũ nullis non oraculis incubabat, accitis vndique magis, astrologis, haruspicibus, ac nullo planè præterito qui huiuscemodi fallacias profiteretur. Sed eos quoq; suspectans, vt parũ vera loquentes, omniáq; ad assentationem vaticinantes, scribit ad Maternianum quendam cui rerum suarum omnium curã in vrbe crediderat, &

Antonini curiositas.

Maternianus Antonini amicus.

quẽ sibi ex amicis omnibus fidissimũ putabat, cõsciũq; omniũ secretorũ habuerat, magos vndiq; optimos cõquirat, atq; euocatis Manibus de fine ipsius vitæ cõsulat, & an quisquã imperio insidietur. At Maternianus nauata principi opera: siue id re vera Manes significauerãt, siue alioqui Macrinũ perosus, rescribit Antonino Macrinũ esse qui insidietur imperio, eúmq; è medio tollendũ. Has igitur literas, vt mos est, cũ reliquis obsignatas, dat ignaris quid ferrẽt tabularijs. Illi cõsueta vsi itineris celeritate, ad Antoninũ perueniũt quo ille potissimũ tẽpore ad aurigandũ se parabat ac iã currũ cõscẽdebat. Ita ei reddunt integrũ epistolarũ fasciculũ, in quibus erãt etiã literæ quæ ad Macrinum pertinebant. At vero Antoninus studio iã omni atq; animo ad aurigandum intentus, imperat Macrino vti ipse literas seorsum inspiciat: ac si quid maioris momenti sit, renunciet: sin minus, ipse de more suũ, hoc est præfecti officium exequatur. quippe talia identidẽ iniungere consueuerat. Ipse deinde ad suum studium perrexit. Macrinus seorsum epistolis omnibus solutis, etiã in eam incidit quæ ipsi perniciem afferebat. Cognito igitur quantum periculi impenderet, ac gnarus Antonini iracundiæ truculentiæq; præsertim tam specioso prætextu, subtrahit epistolam illam, cæterarum vero (vt solebat) argumẽta principi renunciat. Sed metuẽs ne iterũ super eiuscemodi rebus Maternianus rescriberte, malens facere ipse aliquid, quàm expectãdo pati, tale quiddam cõminiscitur. Erat Martialis quidam centurio vnus è

Martialis cẽturio.

custodibus corporis Antonini, semper illum assectari solitus, cuius fratrẽ paucis antè diebus princeps delatum tantum, sed minime redargutum occiderat: ipsumq; Martialem per contumeliã timidum ac degenerem, & Macrini amicũ appellauerat. Hunc vehemẽter dolentem fratris nece, propriisq; incitatum contumelijs, gnarus omniũ Macrinus ad se vocat, studiosum iampridem sui, ac multis obstrictũ beneficijs: cui persuadet vt captato quã primũ tempore Antoninum obtrũcet. Ille cũ promissis adductus, tũ proprio odio, ac vindictæ fraternæ studio incitatus, libenter omnia se facturũ pollicetur cum primum occasio euenisset. Euenit autem haud multo post. Quippe agens Carris, quæ est Mesopotamiæ vrbs, Antoninus, deæ Lunæ inuisit tẽplũ, quod in ea regione distans aliquãtũ ab vrbe, præcipuo honore ab incolis colitur. Eo secũ paucos equitũ eduxit, relicto exercitu cætero, vt sacrificio facto in vrbem reuerteretur. Medio autẽ itinere vno tantũ famulo comitatus, ac reliquis absistere iussis, secessit ad requisita naturæ. Quare auersis omnibus, & quàm longissime recedentibus, honoris ac reuerentiæ causa, Martialis, qui omnes temporum captabat articulos, vt eum solum esse animaduertit, ceu nutu principis ad videndum aliquid aut audiẽdum vocatus, accurrit, auersúmque, & subligacula sibi deducentem pugione traijcit, quem celatum manu attulerat: & cum in ipsam iuncturam ferrum incidisset, letali scilicet vulnere, deimprouiso Antoninus minime defensus occubuit. Quo facto Martia-

Lunæ tẽplũ prope Carras.

lis statim equum inscendit, ac fuga euadere conatur. Cæterum Germani equites, quibus & delectabatur Antoninus, & custodibus corporis vtebatur, propiores cæteris, primiq; facinus conspicati, Martialem consecuti missilibus confodiunt. Quod vbi exercitus reliquus cognouit, omnes subito concurrerunt, primúsq; Macrinus supra cadauer conqueri ac delamentari per simulationem cœpit. Grauis ea res & molesta militibus incidit, commilitonem, conuictorémque aliquem amisisse, non principem existimantibus. Neque de Macrino quippiam illis adhuc subolenerat, putantibus Martialem proprias inimicitias persecutum. Ita in sua quisq; tabernacula discessere. At Macrinus tradito igni corpusculo, reliquias intra vrnā cōiectas matri ad sepulturā remisit. Ea tūc Antiochiæ morabatur: moxq́; ob liberorum calamitates, incertum sponte, an imperio alicuius, mortem sibi cōsciuit. Hunc finē habuerūt Antoninus & Iulia mater, cum quidem ad eum quē diximus modum vixissent, ac sexennium tantum ille sine parente germanóq; suo imperauisset. Extincto Antonino, incerti ignariq; quid agerent milites, biduo sine imperatore fuerunt, quærentes inter se quem potissimum principem deligerēt. Siquidē aduentare magnis copijs Artabanus nunciabatur pœnas exacturus, & cæsis inter pacē ac libationes missurus inferias. Igitur principem deligūt primo quidem Audentium, militarem scilicet virum, præfectúmq; non improbum. Sed ille senectutem excusans, abnuit imperium. Dein vero

Martialis confossus.

Macrini simulatio.

Macrinum, suadentibus potissimum tribunis, quos etiam conscios insidiarum Antonini, ac Macrino participes consilij fuisse, post illius mortem suspicio extitit, quẽadmodum in sequentibus dicemus. Suscepit autem Macrinus imperium, non tam fide militum fretus, quàm necessitate impulsus, vsúq; præsenti. His actis, iam scilicet Artabanus multis copijs ac viribus aderat, equitatum ingẽtem & sagittariorum multitudinem adducens, præterea cataphractos camelis insidentes, qui prælongis contis præliarentur. Quo cognito, Macrinus cõuocato exercitu, ita locutus perhibetur. Dolere vos omnes principis huiuscemodi, vel, vt verius loquar, commilitonis interitu, mime mirandum. Sed calamitates casúsq; humanos modice ferre, id vero est prudentium. Cæterum illius memoria vestris æternum præcordijs insidebit, atque ad posteritatem propagabitur, rerum fortiter ac magnifice gestarum, præterea amoris beneuolentiæq; & communicatorum vobiscum laborum, laudem secũ deferens sempiternam. Nunc autem postulat tẽpus honore habito illius memoriæ, iustisq; omnibus persolutis, occurrere imminẽti periculo. Videtis Barbarum instantem cum totius Orientis multitudine, ac iustas (vt videtur) belli causas præferentem. siquidem nos illũ priores lacessiuimus violato fœdere, atq; in altissima pace bellum excitauimus. Nũc omne Romanum imperium in virtutem vestram recumbit & fidem. Neq; enim de finibus imperij, aut de fluminibus dimicatio nobis aduersus magnũ regem, sed de omni-

Macrinus imperator factus.

Macrini cõcio ad milites.

tus fortunis est, cũ scilicet liberos, consanguineos suos vltũ veniat, quos iniuste à nobis cõtráq; fœdera occisos arbitratur. Igitur arma capiamus, atq; (vt mos Romano est) ordines in prælio seruemus. Quippe in acie Barbarorũ incomposita multitudo ac tumultuaria ipsa se fortasse impediet. Vester autem ordo atq; consensus, pugnandíq; peritia, sicuti vobis salutem, ita hostibus perniciem attulerit. Quapropter sic velim bene sperãtes dimicetis, vt Romanos decet, vtq; hactenus consuestis. Ita enim & Barbaros ipsos fuderitis, et gloriam insignem adepti, fidem Romanis cæterísq; omnibus feceritis, non dolo aut fraude vlla, sed virtute & armis superiorem victoriam à vobis partam. Quæ postquã locutus est, cognita necessitate milites in ordines se recepere, atq; in armis agitabant. Sole autem oriente conspiciunt Artabanum maximas secum copias adducentem. Vt autem Solẽ Barbari de more propitiarunt, confestim edito ingẽti clamore concurrunt in Romanos, iísq; adequitantes sagittas ingerunt. At Romani acie instructa, Maurorúmq; equitatu per latera disposito, ac receptis per interualla expeditis militibus, quibus facilis esset excursio, fortiter resistentes, impetum Barbarorum sustinebant: qui scilicet & sagittarum multitudine, & prælongis contis, quibus cataphracti ex equis aut camelis depugnabant, pessime Romanos accipiebãt. Contrà Romani quoties pedẽ conferebant, facilè scilicet aduersarios superabãt. Postea vero quã ab equitatu & camelitarum multitudine premebantur, fu-

ga simulata, tribolos, aliáq; machinamēta ferrea acuminata proijciebant, quæ sub arenis latentia, neque cuiquā conspecta, perniciem equitibus & camelorum insessoribus afferebant. Quippe illis calcatis, equi, potissimum vero cameli, quoniam huic generi mollissimæ sunt vngulæ, succiduæ claudicabant, excussis tergo insessoribus. Ceterū Barbari illi quādiu equis aut camelis inuehūtur, acerrime scilicet cōfligūt. Vbi autē vel descendēre iā, vel excidēre, faciles sunt captu, neq; prælium in manibus gerere audēt: & si fugiēdus aut insequēdus sit hostis, crura scilicet fluxa veste præpediūtur. Vno igitur alteróq; die à mane ad vesperā pugnatum: nox prælium diremit: reuersiq; sunt in castra vtrique quasi victores. Tertia die in planitiem pugnaturi conuenere: tentante autem Barbaro, vt pote qui numero præstabat, circūuenire Romanū, quasiq; indagine concludere: contrà nō iam profundiorem, sed in frontem productam constituebant Romani aciem, ac se circūueniri prohibebant. Tanta autē virorum iumentorúmq; multitudo cecidit, vt omnis compleretur campus, maximiq; cadauerum acerui in altum attollerentur, præsertim vero camelorum, quæ aliæ super alias procubuerunt. Ergo nec liber pugnātibus cursus erat, nec inter se cernendi copia, velut ingenti quodam ac vix peruio aggere cadauerum in medium extructo: quo scilicet prohibente transitum ad reliquos, singuli se in sua castra receperunt. At Macrinus cognito non alia de causa tam acriter ac pertinaciter pugnare Artabanū, nisi quia se pugna-

Camelorū vngulæ mollissimæ.

re contra Antoninum arbitrabatur, (Solēt enim Barbari paulo negocio quasi fatiscere, velutiq; oneri cedere, si modo primis congressibus parum ex sententia res gesserint. tunc autem perstabant, prælium integraturi cum primum cadauera concremassent, ignari perijsse qui has inimicitias concitauerat) mittit Parthis legatos cū literis, quæ declararent occidisse imperatorem, ac debitum supplicium luisse, qui fœdera & iusiurandū temerauerat: sibi esse à Romanis, quorum ipsum tandem imperium sit, summam rerū creditā. Nō placere vero quæ acta forent. Itaq; captiuos, quicūq; superessent, raptáq; omnia redditurum. Cupere se illū ex inimico amicū facere, pacémq; iureiurando ac libaminibus sancire. Barbarorum consuetudo. Quibus lectis Artabanus, edoctúsq; à legatis de Antonini cæde, satis dedisse supplicij violatorem fœderis arbitratus, contētúsq; reddi sibi citra vllum cruorem captiuos, prædámq; omnem, fœdus cū Macrino ferit, atq; in proprias sedes reuertitur. Sed & Romanus imperator deducto ex Mesopotamia exercitu, Antiochiam profectus est.

HERODIANI LIBER QVINTVS.

dE Antonini imperio, cædéq; insidijs, ac successione itē, superiore libro diximus. Ceterum Macrinus vbi Antiochiā peruenit, literas Senatui populóq; Romano misit in hāc sententiam. Cū satis ipsi cognitū habeatis quodnā fuerit meum iam inde à principio totius vitæ institutum, quámq; ad benignitatem propensi mores, quæ mansuetudo in ea potestate explicata, quæ non multum abest à principatu, (siquidē ipse quoq; imperator fidei se præfecti cohortis credit) superuacuū esse arbitror multis verbis vti apud vos. Nostis enim et ipsi parum me lætum fuisse ijs rebus quæ ab illo gerebantur, ac sæpe vestri causa periclitatum, dum ille nulli non calumniæ fidem habens, velut effrenus cōtra vos irrueret. Itaq; identidē mihi obtrectare solitus, etiam publice modestiam in me atq; humanitatē vituperabat, segnē, & fluxis moribus vocitās. Quippe homo assentationibus gaudēs, quicūq; ipsū ad crudelitatem exacuebant, rabiémq; insitam quasi signo dato prouocabant, & calumnijs iram excitabant, eos sibi deniq; beneuolos, fidósq; in primis amicos arbitrabatur. Mihi autem iam inde à principio nihil lenitate antiquius modestiáq; fuit. Igitur Parthicum bellum longe maximum, & in quo omne Romanū imperium fluctuauerit, ita confecimus, vt nec in acie fortiter dimicando hostibus cesserimus, & regē maxi-

Macrini literæ ad senatū populumq; Romanum.

mas secum trahentem copias, icto fœdere ex inimico amicũ reddiderimus. Porrò me principe liberi incrumẽtiq; omnes agitabunt, magisq; optimatium conspiratio hæc erit, quàm pricipatus. Neq; tamen est quòd quisquam indignum imperio censeat, aut fortunæ crimen putet esse, quòd ex equestri ordine ad imperium peruenerim. Nam quo, obsecro, nobilitas ipsa, nisi morũ benignitas adsit, & humanitas? SIQVIDEM fortunæ munera etiam parũ dignos exornãt, animi virtus propriã cuiq; gloriã cõciliat: & claritas quidem generis, diuitiæq;, atq; id genus reliqua, etsi beatorum propria putantur, minime in ipsis, vtpote ab alijs tradita, laudantur. Lenitas autem ac benignitas etsi ipsæ quoq; admirationi sunt, attamen habẽti quoq; laudem accumulant. Quid enim vobis profuit Cõmodi nobilitas, aut Antonini paterna successio? Scilicet eiusmodi homines quasi ipsis debitam hæreditatẽ adepti, veluti proprio patrimonio per cõtumeliam abutuntur. Qui autem à vobis imperiũ acceperunt, velut in perpetuum obstricti etiam referre gratiã pro meritis enituntur. Ad hæc, patricia principum nobilitas sæpenumero in superbiã vertit, despectis omnibus velut inferioribus. At qui modestiæ experimento ad imperiũ adsciscuntur, quasi partũ labore tuentur semper, verenturq; & colunt quos consueuerãt. Mihi sanè decretum est nihil sine authoritate vestra gerere, ac vos principes consiliariósq; habere Reipub. gerendæ. Viuetisq; pro arbitrio vestro in libertate illa quam vobis antehac à patricijs imperatoribus ereptam, Marcus

dein Pertináxq; restituere conati sunt, ambo ad imperium priuatis cunabulis innutriti. QVIPPE generis initia clara posteris relinquere ipsum præstat, q̃ꝑ accepta à maioribus, fœdis moribus cōtaminare. Hac lecta epistola, conclamatũ à Senatu vniuerso, nulliq; non honores Augustorum Macrino decreti. Neq; vero tãtopere lætus Senatus Macrini successione fuit, quã vulgo vniuersi gratulabantur extinctum Antoninũ. Nam vt quisq; authoritate aliqua aut dignitate præcellebat, ita maxime imminentẽ suis ceruicibus depulisse gladium arbitrabatur. Delatores autem, & serui omnes quicunq; dominos detulerant, patibulo suffixi: totáq; vrbs, atq; adeo Romanum imperium sceleratis hominibus perpurgatum, partim supplicio affectis, partim exilio multatis. Quòd si qui tum latuerunt, metu quiescentiũ etiã ipsi libertatis quandam imaginẽ præferebãt, anno duntaxat vno quo Macrinus imperium obtinuit. Quippe hoc tantũ peccauit, quòd non exercitũ illico dimisit, atq; vnoquoq; domum reuerti iusso, ipse Romã sui cupidam statim nõ petijt, vocãte populo quotidie se, ac Macrinũ vociferãte. Sed Antiochiæ morabatur, barbã nutriens, & incedens quàm solebat lentius, tardissiméq;, ac vix adeũtibus se respõdens, adeóq; interdum submissa voce, vt ne exaudiri quidem posset. Hæc enim demum sibi de Marci moribus imitanda proposuerat, cum ad illius reliquam vitam nullo pacto aspiraret. Quippe deliciosius in dies agitans, histrionibusq; & saltatoribus intentus, & gubernandi negligens, incedebat cum fibulis ac balteo

auratis gemmatisq;. Qui luxus minime Romano gratus, exercitui certe, quem Barbaris putant fœminisq; congruentiorem, quàm principi. Talia igitur intuentes, magnopere improbare omnes: vitámque planè hominis aspernari, molliorem, quàm vt militari viro cõueniret: simul comparare inuicem Antonini vitæ exemplum, solertis in primis ac planè militaris viri, & Macrini luxuriam. Præterea grauiter indignari, quòd ipsi adhuc in tabernaculis agerent procul à patria, ac nonnunquam rerum quoque necessariarũ indigerent, neq; domum dimitterentur etiam pace facta: cum scilicet ille cõtrà mollissime ac deliciosissime vitam coleret. Igitur excussis velut habenis, quotidie in hominem cauillabantur, ac leuissimam quanque occidendi eius occasionem aucupabantur. Sed ita scilicet fato datum fuerat, vt vno duntaxat anno princeps Macrinus in delicijs absumpto, simul cum vita imperium amitteret, exiguam tenuémque fortuna occasionem militibus ostentante ad ea quæ concupierant patranda. Mæsa erat quædam nomine, Phœnissa mulier, ab Emesa vrbe Phœniciæ, cui soror Iulia fuerat Seueri coniux, ac mater Antonini. ea, viuente sorore, multos annos in aula imperatoria vixerat, Seuero & Antonino principibus. Hanc igitur Mæsam post sororis obitum, atque Antonini cædem, iusserat Macrinus in patriam cum omnibus bonis reuerti. Abundabat autem grandi pecunia, vtpote longissimo tempore inter principalem potentiam enutrita. Reuersa igitur anus domi agitabat. Erant vero ei filiæ duæ,

Macrini cædendi occasio.

quarum natu maior Soæmis, minor Mamæa vocabatur. Illi filius Basianus, huic Alexianus: amboque sub matribus auiáque educabantur. Et quidem Basianus annos natus erat circiter quatuordecim, Alexianus autẽ decimum iam annum attigerat. Sacerdotes ambo Solis, quem maxime indigenæ colunt, Phœnicũ lingua Elæagabalum vocitantes. Templúmq; illi maximum constructum habent, auro argentóq; plurimo, ac lapidum eleganti magnificentia exornatum. Neq; solum indigenæ deum illum venerantur, sed vicini quoq; satrapæ regésq; Barbari certatim quotannis splendida offerũt munera. Simulacrum vero nullum Græco aut Romano more manufactum ad eius dei similitudinẽ: sed lapis est maximus, ab imo rotundus, & sensim fastigiatus, propemodum ad coni figuram. Niger lapidi color, quem etiam iactant cœlitus decidisse. Eminẽt in lapide quædam, formæq; nonnullæ visuntur, ac Solis imaginem illam esse affirmant, minime humano artificio fabrefactam. Huic igitur deo sacer erat Basianus quippe natu maior, ipse potissimum sacerdotio fungebatur, incedens Barbarico cultu tunicas indutus intextas auro, ac manuleatas, & ad pedes vsque demissas, cruráq; tota cõuelans ab vnguibus ad femora vestibus similiter auro purpuráq; varijs, capite coronã gestans preciosorum lapidum coloribus florentẽ: præterea integer æui, cunctorúmq; eius ætatis adulescẽtium formosissimus. Quare congruẽtibus in vnũ forma corporis, atque ætatis flore, simul habitu illo mollissimo, facilè eum Dionysij pulcherrimis imaginibus

Sol pro deo cultus.

Basian⁹ Solis sacerdos.

assimilabant. Hunc igitur sacra celebrantē, chorúmq; circa altaria barbarum in morem ad tibias fistulásque & omnifariam organa instaurantem, curiosius inspectabant cum mortales alij, tum in primis Romani milites, vel quòd genere imperatorio editum sciebāt, vel quòd formæ viribus omnium in se oculos conuertebat. Quippe tum vicinus vrbi illi exercitus erat tuendæ Phœniciæ præpósitus, deductus inde mox, vt in sequentibus exponemus. Cum itaque quotidie religionis nomine milites ad templum itarent, libenter scilicet adulescentem intuebantur. Erant autem ex ijs nonnulli Roma profugi Mæsæ familiares, quibus illa formam pueri admirantibus, incertum mentita, an verum professa, filium vtique esse ait Antonini, quanuis alterius putaretur. Quippe cum suis natabus adulescentulis adhuc & formosis rem habuisse quo tempore ipsa in palatio simul cum sorore agitabat. Ea res audita ab illis, ac sensim cōmunicata reliquis commilitonibus, per vniuersum denique exercitum vulgata est. Porrò etiam aceruos habere nummorum Mæsa dicebatur, faciléque omnes militibus elargitura, si modo imperium suæ soboli restitueretur. Pollicentibus autem se eam cum suis, si noctu clanculum in castra venisset, patentibus portis excepturos, atq; Antonini filium imperatorem declaraturos, nihil scilicet recusauit anus, decreta periculum quoduis adire, quàm vitam colere priuatam atq; abiectam. Quapropter noctu clanculum vrbe egressa cum liberis nepotibúsq; suis, deducente ipsos profugo tum militum

agmine, facile in castra admittitur, ibiq; puerum confestim milites vniuersi Antoninum appellatum, atq; indutum purpura custodiebāt. Tum commeatu omni simul cum suis natis & coniugibus, cæterisque adeò rebus importatis quas in vicis agrísque propinquis habebant, ita se intus comparabant, vt etiam, si opus foret, castrorum obsidionem exciperent. Quæ vbi nũciata Macrino sunt Antiochiæ moranti, dedito per exercitus rumore repertum Antonini filium, pecunias militibus elargiri Iuliæ sororem: cum omnia quæcunque dicerentur, aut esse vllo modo poterant, pro veris acciperentur, pendebant animis omnes, atque eos ad res nouas moliendas cum proprium Macrini odium, tum Antonini memoriæ quædam quasi commiseratio subigebat, sed in primis pecuniarum spes, vt multi iam ex ijs ad nouum Antoninũ transfugerēt. At Macrinus rem totam quasi puerilem contemnēs, consuetámque obtinens animi alacritatem, domi ipse sedens, vnum è ducibus mittit, traditis copijs quantæ ad rebelles expugnandos viderentur suffecturæ. Vt antē eo peruenit Iulianus (id enim nomen præfecto fuit) ac iam mœnibus succedebat, statim inclusi milites puerum exercitui infesto de turribus pinnísque ostentare, vociferari Antonini filium, sacculos quoque nũmorum plenos, escam scilicet proditionis, attollere. At illi credito Antonini esse filium, & (quoniam sic videri volebant) facie quoq; & lineamentis quàm simillimũ existimantes, caput amputant Iuliano, mittúntq; ad Macrinum: ipsi reseratis portis vni-

uersi in castra accipiuntur. Ita scilicet adauctæ copiæ non modo ad excipiendam obsidionem, sed ad cóferendam quoq; manum, dimicandúmq; instructa acie satis futuræ, transfugarum etiam magna vi paulatim quotidie se aggregãte. Quibus auditis Macrinus cum omni exercitu ad castra illa oppugnanda contendit. Antoninus autem militibus oppugnationem haud expectantibus, sed congredi audentibus, copias omnes educit. Concurrerunt autẽ inter se exercitus vterq; in Phœniciæ Syriæq; finibus, acrius dimicante Antonini milite, conscientia metúque pœnæ si victus foret, contrà autem Macrini exercitu languidius remissiúsque prælium capessente, multisque subinde ad Antoninum transfugientibus. Quo animaduerso Macrinus metu ne planè omnibus exutus copijs captiuus ageretur nihil non passurus contumeliæ, stante adhuc acie chlamydem sibi ceterúmq; imperatoriũ detrahit ornatum, paucisque è fidissimis cõmilitonum comitatus fugam occupat: detonsáq; barba, ne agnosceretur, itinerario vestimento, capitéque semper conuelato, noctem diémq; accelerabat, famam quoq; suæ fortunæ præueniens. quippe ingenti studio cõmilitones vehicula vrgebant, quasi Macrino adhuc rerum potente magnis de rebus mitterentur. Ille igitur fuga enaserat, quemadmodum diximus. Interea milites vtrinque pugnabant: atque à Macrino quidem corporis custodes ac stipatores, quos pretorianos vocãt, fortiter stantes, reliquum omnem exercitum soli sustinebant, videlicet proceri homines, atq; ex õni numero delecti:

cætera omnis multitudo pro Antonino præliabatur. Sed vbi diu neq; Macrinum iam ipsum, neq; imperij signa conspiciebant qui pro illo certamen subierant, ignari vbinam foret, iaceret, an aufugisset, haud satis constitutum habentes quod sibi capiendum consilium foret, neque periclitari diutius pro eo decreuerant, qui iam nusquam compareret: & se permittere hostium potestati quasi deditítios captiuósque verebantur. Vt autem à captiuis audiuit Antoninus aufugisse è prælio Macrinum, mittit statim nuncios qui doceant frustra illos pro homine pauidissimo ac fugitiuo decertare: veniámque & obliuionem omnium iureiurando pollicetur: stipatorésque iam tum sibi illos adsciscit. Igitur omnes re credita cesserunt. At vero Antoninus mittit illico qui Macrinum consequantur, cum iam plurimum viæ præcepisset. Inuentus autem est in Calchedone Bithyniæ vrbe grauissime ægrotãs, ac perpetuo itinere attritus, latitãs in suburbano quodam, vbi illi caput abscissum. Dicebatur autẽ Romã properare fretus popularibus studijs: sed trãsgrediẽtem in Europã angusto Propontidos freto, iámq; Byzantio appropinquantẽ, vẽto aduerso vsum perhibẽt, quasi flatu ipsum ad suppliciũ retrudente. Tantũ igitur abfuit Macrinus quo min9 persecutores effugerit, finẽ vitæ sortitus fœdissimũ, qui Romã reuerti pòst voluerit, quod statim à principio facere oportuerat. Offendit autẽ consilio pariter atq; fortuna. Ita scilicet occisus est Macrinus cũ filio Diadumeno, quem iam Cæsarem fecerat. Postea vero ꝙ exercitus vniuersus

Macrini exitus.

Antoninum imperatorem consalutauit, atque ille summam rerum suscepit, rebus iam in Oriente, vt quæque maxime vrgebant, ordinatis, ab auia scilicet atque amicis (nam ipse adulescens admodum, ac rerũ erat imperitus) haud diu moratus, profectionem edicit, festinante in primis Mæsa ad Romanã aulã, cui tã diu insueuisset. Sed vt senatui populóque Romano res innotuit, omnes eum nuncium grauiter accepere: sed parendum necessitati fuit, electo à militibus principe. Cæterum incusantes Macrini negligẽs ingenium, fluxósque mores, neminem vtique alium, sed ipsum sibi fuisse mali causam dictitabant. At vero Antoninus è Syria profectus, Nicomediæ hyemauit, ita postulãte anni tempore. Statim igitur debacchari supra modum cœpit, cultúmque patrij numinis, cui dicatus fuerat, celebrare superuacuis saltationibus, vestitum vsurpans luxuriosum, purpura intextum atque auro, monilibúsque et armillis redimitus, coronas etiã sustinens ad tiaræ modum, auro lapillisque preciosis insignitas, forma habitus inter phœnissam stolã, ac Medorum amictum. Nam Romanam vestem aut græcanicam planè aspernabatur, è lana (vt ipse aiebat) hoc est è re vilissima confectã: neque nisi sericas telas dignabatur, procedens identidẽ ad tibias & tympana, velut orgia numinis cõcelebraret. Hæc cernẽs Mæsã, ac ferens iniquo animo, supplex illi persuadere conabatur vt Romanũ assumeret cultum: ne vrbem mox curiámque ingrediens, peregrino illo barbaricóque habitu spectantium oculos perstringeret inso-

lentes eiusmodi munditiarũ, ac reputantes muliercu-
lis quã viris congruentiores. Sed ille verbis aniculæ
contemptis, nec cuiquam præterea credendum putãs,
(quippe neminem circa se nisi moribus consimilem,
suisq; obsecundantem vitijs habebat) cum retinendũ
sibi quẽcunq; illum cultum animo obstinasset, decreuit
absens periculum facere quonam animo S.P.Q.R.
laturi forent. Quare imaginem propriam maximis
lineamentis, qua ipse obire sacerdotis munia videba-
tur, simúlq; figuram numinis cuius sacerdotium gere-
bat, depictam in tabula præmisit Romam, iussis qui
eam ferrent, in media curia loco edito supra Victo-
riæ caput collocare, vt cum senatus haberetur, thura
vnusquisq; adoleret, merúmq; libaret. Edixit item vt
omnes Romani magistratus, quiq; publice sacra fa-
cerent, ante alios deos quorum meminisse inter sa-
crificandum solent, deum Elæagabalum nuncuparẽt.
Quapropter vt in vrbem peruenit, nihil scilicet no-
uum Romani viderunt, insueti iam picturæ. Diuiso
igitur congiario in populum, vt mos est imperium
suscipientibus, spectacula omnifariam edebat magni-
ficentissima, templúmq; item maximum pulcherri-
múmq; deo erexit, plurimásq; circa templum consti-
tuit aras, ad quas quotidie mane taurorum hecatom-
bas, & ouium magnam multitudinem immolabat.
Coaceruatisq; supra aras omne genus odoribus,
etiam veterrimi cuiusq; optimiq; vini plurimas am-
phoras profundebat, sic vt riui passim vini sangui-
nisq; promiscue defluerent. Chorósq; circũ aras agi-

tabat, nullis non organis consonantibus, vnáq; mulieribus Phœnissis cursitantibus in orbem, cymbaláque inter manus habentibus aut tympana, omni circunstante senatu atq; equestri ordine, ad theatri formã. Exta porro victimarum, atq; aromata intra lances aureas capitibus imposita gestabant non quidem famuli aliqui, aut humiles personæ, sed præfecti exercitibus, & quicũq; maximas dignitates obtinebant, induti tunicas talares, ac manuleatas, vnãq; in medio purpuram ferentes. Sed & lineis calceamentis vtebantur, quemadmodum vates in eis regionibus consueuerunt. Porrò ingentem se honorem tribuere putabat quibus eiuscemodi sacrificia participaret. Sed quãuis instaurare choros, & sacra facere perpetuo videretur, plurimos tamen ex illustribus viris atq; opulentis interfecit, delatos sibi quòd parum læti illiusmodi vita, etiam in ipsum quandoq; cauillarẽtur. Duxit præterea vxorem illustrissimam Romanam fœminam, quã etiam Augustam appellauit: cumq; ea tamẽ paulopost diuortium fecit, adẽptisq; honoribus priuatam colere vitam iussit. Post illam vero captũ se amore simulans, vt aliquid virile saltem facere videretur, Vestalem sacerdotem, quã leges castam esse & virginem perpetuo volunt, abreptam è templo pro vxore habuit. Ita mœstũ tanto flagitio ac piaculo senatum, per epistolam consolatus, humanum esse id peccatum, captum se illius amore, cæterum sacerdoti congruere sacerdotis nuptias, ob idque etiam augustiores futuras. Sed eam quoque paulopost di-

misit, tertia vxore ducta, quæ referre suum genus ad Commodum dicebatur. Neq; vero humana tantum matrimonia ludebat, sed etiã deo suo quærebat vxorem. Itaq; Palladis simulacrum, quod occultum Romani, neminiq; videndum colunt, in cubiculum suum transtulit: immotúmq; ad eum diem ex quo Ilio aduectum fuerat, præterquã cum templum conflagrauit, ipse emouit sedibus, eámq; deam sui dei coniugem in aulam imperatoriam adduxit. Dein cordi esse negãs deo belligeram vxorem atq; armatã, simulacrũ Vraniæ iussit afferri. quod scilicet Carthaginensibus omniq; Africæ venerabile, positum fuisse a Phœnissa Didone creditur quo tempore antiquam Carthaginẽ dissecto corio ædificauit. Hanc Afri Vraniam vocant, Phœnices Astroarchen, Lunam esse affirmãtes. Congruere igitur aiebat Antoninus matrimoniũ Solis & Lunæ. Itaq; & simulacrum afferri iussit, & auri quicquid in templo erat: pecuniámq; deo suo dotis nomine dari præcepit. Quod vbi allatũ est, ac prope Elæagabalum constitutum, iussit vrbe tota Italiáque festos dies celebrésq; & lætitiæ plenos publice priuatimq; quasi dijs nubentibus agitari. Fecit & in suburbano templum maximum ac magnificentissimum, in quod anno vertente deum suum adulta iã æstate deducebat: ludisq; curulibus & scenicis, epulisq; & peruigilijs populum à se oblectari arbitrabatur. Ipsum porro dei simulacrũ impositũ vehiculo, quod esset auro preciosisq; lapidibus exornatum, deducebat ex vrbe in suburbanum, trahentibus equis seiugibus ema-

Palladium.

Vraniæ simulacrum.

culato candore, ac magnitudine præcellentibus, auróq; multo & phalerarum varietate conspiciendis. Neq; enim quisquā mortalium eum inscenderat currum, sed circūstabant omnes quasi aurigantem deū. Antoninus autem retrorsus currens, ac simulacrum ipsum aspectans, currum antecedebat, frenos manibus retinēs: totūq; iter ita retrorsum currēs, ac deū semper aspectās confecit. Ac ne caderet laberetúrq; ignarus quo tenderet, aurosam substrauerat arenam: militésq; eum vtrinq; retentabant, quò tutius retrocederet: discurrente etiam cum facibus vtrinq; populo, & coronas florésq; iaciente. tum deorum omniū simulacra, & quicquid conspicuum in templis, principatúsq; insignia, & preciosissima supellex, equites itē, & exercitus vniuersus pompam illiusmodi comitabātur. Vbi autē deduxerat, atq; in templo constituerat, sacris iā celebritatibúsq; peractis, maximas altissimásq; turres ad id ipsum extructas cōscendebat, inde scilicet in plebem missilia sparsurus, aurea videlicet argenteáq; pocula, vestésq;, & lintea omne genus, bestias præterea cicures omnes, exceptis suibus, quibus ipse (vt mos est Phœnicibus) abstinebat. Multi igitur inter rapiēdum periere, partim inuicē proculcati, partim militum cōtis transfixi, sic vt ea celebritas calamitatē quā plurimis attulerit. Ipse idētidem aurigans aut saltans conspiciebatur. Quippe ne latêre quidem sua patiebatur flagitia, procedens etiam in pubicum pictis oculis, genísq; purpurissatis, faciéq; suapte natura formosam, indecoris coloribus

inficiens. Quod animaduertēs Mæsa, ac suspectans militum indignationem, metuénsq; ne si illi quid accidisset, ipsa rursus in priuatam vitā relaberetur, persuadet leui alioqui stolidóq; adulescenti, vt sibi cōsobrinū suū, nepotēq; ipsius ex altera filiarū Mamæa prognatum adoptaret: ita ad gratiā locuta, oportere iam ipsum sacerdotio religioniq; numinis vacantem bacchari, ac deûm celebrare orgia: sufficiendum autē alterum, qui res curaret humanas, quiq; illi principatum vacuū ab omni molestia curáq; præstaret: neq; tamen peregrinum aliquem aut alienum hominē requirendum, sed consobrino potissimum id honoris tribuendum. Is erat Alexianus, qui tum nuncupabatur Alexander, auito ipso nomine in Macedonis regis nomen commutato. Nam eum regem fama per se celebrem, etiam magnopere coluerat Antoninus Seueri filius, quem fuisse amborū parentem persuadere anus conabatur, iactato filiarū incesto, quò illi magis magísq; à militibus diligerentur. Quare Cæsar declaratus Alexander, consúlq; factus cum Antonino est, senatu scilicet perridiculum decernēte, quod ille voluerat, hoc est, videri ipsum patrem, qui natus annos foret circiter quatuordecim: Alexandrū vero filium, qui tū duodecimū attigisset. Postea igitur quā Alexāder Cæsar est appellatus, volebat eū statim Antoninus suis illis institutis imbuere, vt scilicet choros agitans, saltā sq;, & sacerdotij particeps, vestitu eodem atq; artibus vteretur: quem tamē mater Mamæa ab omni illa fœditate vindicabat, summis clàm doctori-

Alexianus Alexander nūcupatus.

bus omniũ disciplinarũ modestiámq; edocens, ac palæstræ virilibúsq; gymnasijs insuefaciens, græcísq; eum pariter & latinis literis instituẽs. Quibus rebus magnopere Antoninus indignabatur: iámq; adoptionis imperiiq; participati pœnitebat. Quapropter omnes illius doctores aula exegit, quosdãq; illustriores partim morte, partim exilio affecit, ridiculas allegãs causas, quòd filium ipsius corrumperẽt, neq; agitare eum choros, atq; ebacchari sinerent, sed ad modestiã cõponerent, & virilia officia edocerẽt. Eóq; vecordiæ prouectus est, vt omnes scenicos artifices ac theatricos ad maximas imperij dignitates promoueret. Quippe exercitibus saltatorem quendam præfecit, qui olim iuuenis publice in theatro operas dederat. Alium item è scena iuuentuti, alium senatui, alium etiam equestri ordini præposuit. Aurigis item, & comœdis, mimorũq; histrionibus maxima imperij munia demandabat: seruísque suis aut libertis, vt quisq; turpitudine reliquos anteibat, procurationes tradebat prouinciarum. Ita rebus omnibus, quæ grauia olim honestáque censebantur, per omnem contumeliam ac temulentiam debacchantibus, cum cæteri omnes, tum in primis Romani milites indignabantur: cõtemnebántq; eum, vtpote vultum componentem elegantius, quàm fœminã probam deceret: insuper aureis monilibus, mollissimóque vestitu haudquaquam viriliter ornatum, saltantémq; in conspectu omnium. Quare propensiores animos in Alexandrum habebant, spémque meliorem in puero modeste & continenter edu-

cato: seruabántq; eum diligẽter omnes ab insidijs Antonini. Mater autem Mamæa neq; poculentum aliquid neq; esculentum gustare puerum sinebat quod ab illo mitteretur. Coquis autem & pincernis vtebatur puer non quidem imperatorijs, aut communibus, sed quos mater tantum delegerat, ac spectatæ fidei futuros arbitrabatur. Dabat item furtim pecunias mater, quas ille inter milites clanculum diuideret, vt eorum beneuolentiam etiam pecuniæ pignore (hanc enim illi potissimum spectant) haberet authoratam. Quæ intelligens Antoninus, nihil non insidiarum Alexandro matríq; intendebat. Quas tamen omnes arcebat prohibebátq; communis auia Mæsa, mulier alioqui acerrima, multósq; annos in aula cum sorore sua Iulia Seueri coniuge commorata. Nihil itaq; eam latebat quod Antoninus moliretur, homo suapte natura futilis, & qui omnia quæ placerent, propalam loqueretur atq; ageret. Postea vero quàm insidiæ parum procedebant, detrahere puero Cesaris honorem decreuit. Itaq; neque salutari, neq; iam foras procedere patiebatur. Milites autem magnopere illum requirebant, indignantes si quidem imperium quoque adimeretur. Sed Antoninus famam vulgauit quasi iam obijsset Alexander, vt scilicet periclitaretur quonam id animo laturi milites forent. At illi nusquam comparente puero, præterea animis rumore illo exulceratis indignabundi, neq; solitam custodiam miserunt Antonino, & inclusi castris videre Alexandrum velle in ipso templo dictitabant.

Eo metu ictus Antoninus, Alexandro secum in vehiculo imperatorio considente, quod erat auro multo gemmisque exornatum, contendit in castra. Cæterum portis reseratis accepere vtrunque milites, atque in templum castrorum deduxerunt, salutātes supra modum & lætis clamoribus prosequentes Alexandrum, spreto propemodum Antonino. Quæ ille ægre ferens, cum in templo castrorum pernoctasset, iratus militibus, notatis qui Alexādro acclamauerāt, quasi seditionis & tumultus authoribus, arripi omnes ad suppliciū imperauit. Quod illi ægre ferentes, atq; Antoninum iam antea quoq; perosi, cum tollere è medio principē fœdissimum optarent, suisq; cōmilitonibus ferre suppetias, rati hoc esse tempus, ipsum statim Antoninū, matrémq; Soæmidem, quæ forte illic aderat, interfecerunt, cúmq; eis seruos ministrósq; omnes scelerum, quicunq; tum in ea castra conuenerant. Cæterum Antonini & Soæmidis cadauera trahenda per contumeliam plebi tradiderūt: quæ diu per totam vrbem raptata ac dilaniata, postremo in cloacas abiecta sunt, vt inde scilicet in Tyberim deferrentur. Sic Antoninus sexennium imperio occupato, vitáq; vt diximus acta, simul cum matre occisus est. Milites autem Alexandrum imperatorem consalutatum, in aulam palatinam deduxerunt, adulescentulum admodum, atque adhuc auiæ præceptis obtemperantem.

Antonini ac Soæmidis cædes.

HERODIANI LIBER SEXTVS.

Vem igitur habuerit finem vitæ maior Antoninus, in superioribus demonstratũ est. Alexander autem post illum nomen insigniáq; gerebat imperij: cæterum negociorum administratio, ac principatus gubernacula mulieribus incumbebant, omnia transferre ad modestiam grauitatémq; conantibus. Quippe iam primum sedecim ordinis Senatorij viros, ætatis grauitate, vitæq; sanctimonia præcellentes, assessores principis & consiliarios delegerunt: nihilq; aut dicebatur aut agebatur nisi illorum accedente suffragio. Grata igitur populo militibúsq;, ac Senatui præterea forma principatus erat, ex contumeliosissima tyrannide ad optimatium gubernationem redacta. Igitur primo deorum simulacra, quæ ille proprijs sedibus extulerat, suis quæq; templis, delubris, fanisq; restituerũt. Dein quos ille temere, aut vitiorum nomine ad honores dignitatésque extulerat, summotos inde ad pristinam vitam omnes artificiúmq; redegerunt. Res autem cunctas, atq; administrationes ciuiles quidem & forenses insignibus doctrina viris, legúmq; peritissimis, militares autem claris bellica virtute hominibus cõmendabant. Cúmq; diu ad hunc modum regeretur imperiũ, Mæsa iam extremæ senectutis diem suum obijt, honores adepta imperatorios, atq;(vt mos Romanis est) inter diuas relata. At Mamæa cernens iam solam se filio

reliquam, præesse ad eundem modum, moderariq; studebat. Cúmq; adulescentem summã habere iam cerneret authoritatẽ, metu ne viuida ætas in summa potestate licentiáq; rerum, in cognata aliqua impingeret vitia, vndiq; aulam seruabat, neq; adiri à quoquã adulescentẽ patiebatur, cuius vita moresq; improbarẽtur: ne scilicet bona indoles corrumperetur, prouocãtibus appetitũ eius iam vigẽtẽ assentatoribus in extremas libidines. Persuaserat antẽ vt actibus incubaret meliore diei parte, idq; faceret quàm sæpissime, ne quod spatiũ superesset vacandi malis artibus occupato rebus potioribus, ac necessarijs imperãti. Cæterũ suapte natura suberat Alexãdro mite mansuetúmq; ingeniũ, propẽsúmq; ad humanitatẽ: quod ipsum ætas etiã consequens declarauit. Quippe annis quatuordecim ἀναίμακτον, hoc est citra sanguinẽ gessit imperiũ, ne vno quidem occiso. Licet enim permulti maximis criminibus impegerint, tamẽ ab illorũ cæde semper abstinuit: quod vtiq; non facilè à quoquã omnium imperatorũ quiqui Marco successerint, factum obseruatúmq; inuenies. Neminem quisquã illo imperãte cõmemorare potest cui mors indemnato sit illata. Matrẽ vero etiã incusabat, eiq; grauiter succensebat, quòd esset pecuniæ auidior, & opum cumulandarum studiosior videbatur. Etenim cum simularet ideo se thesauros cõgerere Mamæa, vt suppeditare Alexãdro posset quod is facilẽ abundanterq; suis largiretur militibus, proprios domi thesauros extruebat. Quæ res iperatori notã infamiæ attulit, quòd illo scilicet inuito atq; indignabũdo etiã

Alexandri ingenium.

Imperium ἀναίμακτον.

mulier auida per fraudem bona quorundam atq; hæ-
reditates suppilabat. Dedit item filio in matrimoniū
puellam patricij generis: quam etiam marito charam
gratámq; in primis, eadem paulopost aula per omnem
contumeliam exegit. Et cum ipsa tantum vocari Au-
gusta vellet, eámq; appellationē puellæ inuideret, eo
contumeliarum prouecta est, vt puellæ pater, quāuis
magnæ apud Alexandrum generum authoritatis, im-
patiens Mamææ iniuriarum quas ipsi natæq; infere-
bat, confugerit in castra, gratiā se habere Alexandro
dictitans habiti sibi honoris: cæterum Mamæam accu-
sans, nihil nō contumeliæ inferentē. Quare indignata
mulier interfici eum quidem iussit, puellam vero ædi-
bus imperatorijs exactam, in Africam relegauit. Hæc
autē omnia fiebant inuito coactóq; Alexādro. quippe
illi mater supra modum imperitabat, ac dicto audien-
tem semper habebat: vt hoc tantū reprehendi in Ale-
xandro possit, quòd mansuetudine nimia, & reuerētia
maiore quàm oportuit, etiam contra animi sui sentē-
tiam matri obsequeretur. Igitur cum ad hunc modum
XIII annos, quod quidem ad se attineret, sine que-
rela cuiusquam imperium gubernasset, ecce tibi haud
opinatò literæ è Syria Mesopotamiáq; redditæ à duci-
bus, in quibus scriptum esset, Artaxarem Persarū re-
gem, Parthis iam deuictis, atq; Artabano, qui rex ma
gnus primus appellatus est, duplicíq; diademate vte-
batur, non solum Oriētis regno, sed vita quoq; expul-
so, subigere vicinos Barbaros, ac sibi vectigales facere:
neq; iam intra fluuiū Tigrim tenere se, sed superatis

Muliebris dominatus.

ripis, ac Romani finibus imperij, excurrere per Mesopotamiam, Syriæq; minitari, omnémque Europæ oppositam continentem, quæ mari Ægæo fretóque Propontidos terminatur, atq; Asiæ nomen habet, ceu veterem Persarum possessionẽ sibi vindicare: quod iam inde à Cyro, qui primus imperium à Medis in Persas transtulit, ad Darium vsq; extremum Persarum regem, cui regnum Alexander abstulerit, cuncta olim Ionia Cariáq; tenus à Persarum satrapis gubernarẽtur. Quare sui muneris esse, curare nunc vt vetus atq; integrum imperiũ Persis restitueretur. Quibus intellectis Alexãder motus, atq; haud mediocriter re subita inopinatáque perturbatus, quippe in altissima pace educatus à puero, atq; vrbanis delicijs innutritus, conuocato prius amicorum consilio, decreuit legatos cum literis mittere, qui spem Barbari conatúsque inhiberent. Igitur literæ in hãc sententiã compositæ.

Oportere illum suis finibus contentũ, nihil rerum nouarum moliri, neq; sublatum vana spe ingens excitare bellum. Debere vnumquenque suis fortunis acquiescere. Non perinde sibi pugnã processurã aduersus Romanos, vt aduersus vicinos & eiusdẽ corporis Barbaros. Admonebat præterea victoriarum quas contra eos Augustus, ac Traianus, Luciúsq; item & Seuerus adepti fuissent. Huiuscemodi literis Alexander persuasurum se Barbaro, metu scilicet perterrito, pacem quietémq; arbitrabatur. Quibus ille cõtemptis, rémq; armis potius quàm verbis gerendam ratus, tum vero ferocissimus ingruere, decursáque ac perequitata

Mesopotamia omni, prædas agere, atq; oppugnare Romanorũ castra imposita fluminũ ripis, quæ scilicet imperij milites tuerẽtur. Cúmq; homo esset natura gloriosus, ac sublimes animos gereret successu rerũ inopinato, subacturũ se omnia videlicet existimabat. Neq; enim parua erant quæ illius animũ ad maius cõcupiscendum regnũ inflãmabant. Primus nanq; ipse Parthis bellum inferre ausus, Persarũ recepit imperium. Siquidem post Dariũ illum cui regnũ Macedo Alexãder abstulerat, permultis sanè annis Macedones ipsi, quíq; Alexãdro successerunt, diuisas inter se Oriẽtis Asiæq; totius regiones gubernarunt. Sed ortis inter ipsos discordijs, ac frequentibus bellis attrito Macedonum robore, primus Arsaces Parthus persuasisse earum regionum Barbaris memoratur, vt à Macedonibus deficerent: impositóq; sibi diademate, Parthorũ Barbarorúmq; vicinorũ consensu & ipse regnum tenuit, & posteris reliquit, ad Artabanum vsq; regem: quo interfecto Artaxares, regnóque Persis restituto, vicináque Barbaria per vim subacta, facilè iam Romanam quoq; potentiã lacessebat. Quæ vbi Alexãdro Romæ agenti nunciata sunt, minime iam ferendam putans insolentiã Barbari, vocãtibus illuc se ducibus, ægre scilicet tandem, contráque animi sui sententiam ad expeditionem se cõparat. Igitur in Italia prouinciisq; reliquis delectus habebãtur cunctorum qui vel habitudine corporis, vel ætatis vigore idonei fore ad pugnam viderentur: motúsq; ingens omnibus Romani imperij regionibus extitit delectibus habẽdis, qui tãtæ

Barbarorũ multitudini pares forent. At vero Alexãder vrbanis omnibus militibus cõuocatis in campum, conscensóque tribunali, in hanc sententiam verba fecit: Cuperem commilitones eiusmodi habere orationem apud vos, quæ & dicẽti mihi, vt consueuerat, ornamentum, & vobis audientibus lætitiã conciliaret. Nam cum multos annos pacem agitauerimus, siquid noui nunc audieritis, fortasse, quasi præter spem acciderit, expauescetis. Decet autem viros fortes atque moderatos optima quidem optare, sed ferre quæcunq; incidant. Vt enim quæ cum voluptate agimus, dulcia: ita quæ cum virtute, gloriosa sunt. Atque vt is qui prior lacessit, ipse sibi iniurius videtur: ita qui propulsat iniuriam, confidentior ex conscientia fit, atq; ex iustitia spem bonam mutuatur. Artaxares vir Persa postea quàm Artabanum dominum suum interfecit, atq; ad Persas imperium transtulit, etiam nostra arma lacessere despecta maiestate Romana, & incursare ac vastare nostras prouincias aggreditur. Huic ego per literas à principio studui persuadere vt inexplebilem illam vecordiam omitteret, néue aliena cõcupisceret. At ille barbara insolentia prouectus, neq; se cõtinere suis sedibus iam vult, & nos ad pugnam prouocat. Ne cunctemur igitur, néue præliũ detrectemus, sed quicunq; seniores hic adestis, admonete ꝙ primum illum tropæorũ quæ plurima aduersus Barbaros Seuero atq; Antonino parẽte meo ducib⁹ excitastis. Quibus autẽ ætas integra est, laudem hãc in primis ac gloriã cõcupiscite, vt intelligãt omnes scire

Alexãdri oratio ad milites

vos non solum pacem māsuete ac reuerenter colere, verumetiā cū res postulat, fortissime præliari. Quippe Barbari vt cedentibus detrectantibúsq; acriter instant, ita repugnātibus minime resistunt. Neq; enim illis collata acies spem victoriæ pollicetur, sed excursibus fugáq; vtentes, lucrari se demū putant quæ scilicet rapuerūt. At nos cum omnia cōposita ordinatáq; habeamus, tum illos vincere ac profligare semper didicimus. Talia quædā locutū Alexandrū, alacri vociferatione milites exceperūt, ac se promptissimos ad bellandum ostēderunt. Ille diuiso largiter stipēdio, iubet ad iter accingi: mox ad eam ferme sententiā locutus in Senatu, diem discessui præstituit. Quæ vbi aduenit, sacris de more peractis, deducēte Senatu populóq; vniuerso Roma proficiscitur, respectās identidē, ac lachrymās. Sed neq; populariū quisquā fuit qui siccis oculis aspexerit abeuntē. Quippe omnē multitudinem sui cupidā habebat, educatus ab ipsis, imperióq; tam multos annos modestissime administrato. Cæterū festinato itinere cum Illyricas etiā gentes exercitúsq; lustrasset, magnis inde quoq; viribus collectis, Antiochiam cōtendit. In ea ciuitate, quæ belli vsus postularet, diligenter cōparabat: exercēdis etiā militibus, ac cæteris bellicis muneribus pertractandis intētus. Visum igitur illi est legationē iterū mittere ad Persarum regē, quæ de pace amicitiáq; cū illo ageret. Nam cum ipse iam afforet, minime desperabat aut persuasurū quæ vellet, aut certe perterrefacturū. Enimuero Barbarus Romanos oratores re infecta domū remisit:

ipse quadringentos è suis, proceritate insignes, vestitúque eleganti auróque ornatos, equis atque arcubus conspicuos, legatos ad Alexandrum mittit, perterritum iri Romanos putans aspectu illo cultúque Persarum. Legationis eius hæc erat sententia. Iubere magnum regem Artaxarem Romanos eorúmque principẽ Syria omni, Asiáque, quæcũque ex aduerso Europæ sita est, decedere, sinere Persas Ionia Cariáque tenus dominari, omnibúsque ijs regionibus quas mare Ægæũ Pótúsque disterminat. Hæc afferẽtes legatos quadringẽto comprehendi Alexander iubet, omnique adempto cultu in Phrygiã relegat, vicis agrísque concessis quos colerent: contentus hoc supplicio interdicti in patriã reditus. quippe occidere, nefarium facinus, miniméque virile arbitrabatur, neque in acie captos, & sui regis mandata executos. His ad hunc modum peractis, comparante iam se vt fluuios transgrederetur Alexandro, ac Romanorum exercitum in Barbarorum agros deduceret, defecerunt ab illo milites non nulli ex Ægypto acciti, neque non in Syria quoque res nouas contra imperium moliti alij: sed vniuersi tamen oppressi statim, supplicióque affecti sunt. Quosdã etiam exercitus in regiones alias transtulit Alexander, vt inde Barbarorum incursiones facilius arcerẽtur. Quibus ordinatis rebus, magnóque iã coacto exercitu, cum primum se haud imparem fore aduersariorum copijs credidit, de amicorum sententia milites trifariam distribuit, sic vt vnã partem iuberet spectantẽ ad Septentriones facere iter per Armeniam,

Persarum legati.

quæ regio amica Romanis videbatur: atque illinc Medorum fines incursare. Alteram itẽ ad Septentrionẽ per Barbarorũ agros cõtendere, vbi confluentes Tigris & Euphrates densissimis paludibus excipi, atque ob id eorũ latêre egressus dicũtur. Tertiam porro exercitus partem ipse adducturum se aduersus Barbaros medio iam itinere pollicebatur. Ita enim putabat diuersis itineribus imparatos eos, ac sic nec opinantes oppressurum, Persarúmque copias semper ingruentibus Romanis occursantes distractum iri, atque imbecilliores futuras, minúsque ordinate prælium suscepturas. Neque enim mercenario milite vtũtur Barbari, queẽadmodũ Romani consueuerunt, neque statiuis castris exercitus habent, qui bellorum actibus exerceantur, sed omnis multitudo virorum, nonnunquã autem mulierum quoque, regis congregantur imperio: quæ mox bello peracto suas protinus in sedes dimittitur, ea demum præmia belli referens, quæ cuique ex rapina superfuerint. Arcubus autem & equis non in prælio tantũ more Romanorum vtuntur, sed à pueritia vsque enutriuntur vnà venatu inuigilantes, pharetratique semper, ac nunquam ex equis desilientes, siue bellum gerant, siue feras conficiant. Sed hoc Alexandri consilium etsi longe optimũ prima specie videbatur, statim tamen fortuna destituit. siquidem exercitus contẽdere per Armeniã iussus, vix ægréque superatis eius regionis asperrimis præruptissimisque montibus, quãquam æstas tolerabilius iter faciebat, impetu in Mediã facto, vicos concremauit, prædãque

Barbari mercenarios milites non habent.

abegit. At rex Persarũ intellecta re, confestim quã maximis potuit copijs auxilio adfuit. Cæterum arcere illinc Romanos minime poterat. Quippe aspera regio peditibus quidem stabilem gressum, facilémque transitum præbebat. At Barbarorum equitatus mõtium asperitate & cursum difficiliorem, et iter habebat impeditius. Nunciatum dein regi est exercitum alterum Romanorũ, Parthorum in agros qua ad Orientem spectãt, impetum fecisse. Quare metuens ne Parthis facilè superatis, mox in Persiam grassarentur, relictis copijs quãtæ ad tuendam Mediam satis fore videbantur, ipse cum toto exercitu ad Oriẽtis partes accelerabat. Cæterum exercitus Romanus comparẽte ac repugnante nullo negligentius iter faciebat, ratus Alexandrũ cum tertia parte copiarum quæ maximæ valentissimæq; forent, in medios incurrisse Barbaros. Itaq; restitantibus illis, atq; ob id exercitum retentantibus, minime sibi properandum putabãt, vt qui se tutos crederent, pæstituto antea loco in quem pariter vniuersi cum præda abacta captiuisq; omnibus conuenirent. Sed eos Alexander fefellit. neque enim aut ipse venit, aut exercitum adduxit, incertum metú ne proprio, ne ipse imperium tuendo, vita periclitaretur: an quia mater retinuerit muliebri pauore, & charitate filij nimia. Siquidem omnes illius generosos spiritus retundebat, suadens alios potius periculis exponeret, quàm ipse in acie consisteret. Quæ res exercitum Romanũ fines Barbarorum ingressum planè prodidit. Etenim

Persarũ rex omnibus copijs occurrens, imparatis, minimeq́ expectãtibus, quasiq́ intra retia vndiq́ cõcludens, omnem Romanorum exercitum profligauit. Quippe pauci plurimis resistere haud poterant: semperq́ nudas corporis partes armis aduersus impetũ sagittarũ protegebant, satis præclare secum agi existimantes, si nulla edita pugna integri recessissent. Sed cum aliquãdiu confertim clypeis sese quasi muro circũsepsissent, atq́ omnes vndiq́ velut vrbs aliqua oppugnarẽtur, consauciarẽturq́, tandem vbi diu fortiter restiterant, occidione occiderunt. Ingens hæc calamitas, & qualis nulla facilè memoratur, Romanis incidit, amisso ingenti exercitu, vel fide vel robore cuilibet antiquorum exercituum conferendo. Persam vero maiorum spe rerum impleuit tantarum successus rerum. Quæ vbi nunciata Alexandro sunt grauissime tunc ægrotanti, siue ex mœrore animi, siue insolentia cœli, cum ipse tulit molestissime, tum exercitus omnis grauiter imperatori succensebat. Quippe ipsius mendacio minime signis seruatis, proditos ab eo suos milites dictitabant. Cæterum Alexander morbi cœliq́ illius æstuosi impatiens, laborante pariter omni exercitu, maximeq́ Illyricanis, qui humido hybernoq́ cœlo insueti, largiusq́ cibum capientes, lætaliter ægrotabant: redire Antiochiam constituit, accitis etiã eò militibus: qui montium tamen atq́ hyemis asperitate attriti, paucissimis tantum reliquis perierant. Copias autem quas secum Alexander habebat, Antiochiam reduxit, multis inde quoq́ amissis. Quare

magnum exercitui mœrorem, magnum Alexandro dedecus ea res attulit, cum scilicet omnibus locis fortuna illius consilium fefellerit. Siquidem plurimi è triplici illo exercitu (ita nanque distribuerat) desyderati sunt diuersis calamitatibus, morbo, ferro, frigore. Vt vero Antiochiam peruenit Alexander, facilè & ipse conualuit, spiritu illo cœli, & aquarum abundantia post æstuosos Mesopotamiæ calores refectus, & milites vniuersos recreauit, consolatus etiam mœstitiam illorum pecunijs elargiendis. Id enim solum valere ad conciliandos militum animos arbitrabatur. Copias autem instaurabat comparabátque deintegro, quasi iterum in Persas exercitum deducturus, si molesti esse pergerent, neque ab iniuria desisterent. Sed & rex Persarum dimisisse milites suam quenque domum nunciabatur. Nã quãuis bello superiores fuisse Barbari viderẽtur, tamen prælijs crebris in Media Parthiáque gestis pars ceciderant, alij attriti & saucij superfuerant. Neque enim segniter Romani deuicti, sed ipsi quoque interdum exitiosi hostibus: nulláque adeo re magis perierunt, quã quoniam pauciores deprehensi. Nam cum ferè par vtrinque numerus cecidisset, reliquiæ illæ Barbarorum non quidẽ fuisse viribus superiores, sed numero videbantur. Cuius rei argumẽtum est, quòd triennio mox aut quadriennio Barbari nequaquã arma resumpserunt. Quibus intellectis Alexander Antiochiæ cõmorabatur: hilariórque iam & liberior laxatis bellorum curis, vrbis eius delicijs indulgebat. Enimuero putãte illo tum quieturos Per-

Pecuniarum maxima est consolatio.

sas, aut sanè multum spatij moræq; intercessurum prius quã exercitum deintegro cogerent, haud facilè, cum semel dissipatus est, in vnũ coëuntem, vtpote incertum atq; inordinatum, vulgúsq; potius quã exercitũ, tantúmq; cõmeatum habentem, quantum sibi vnusquisq; ad præsentem vsum domo attulisset, præterea ægre filios vxorésq; & sedes proprias relinquentem: statim nuncij literæq; ab Illyricis procuratoribus adfuerunt, qui eum vehementer perturbarent, curámq; animo maiorem inijcerent. Quippe significabant Germanos Rhenum Danubiúmq; transgressos, Romanos in fines hostiliter intrasse, oppugnaréq; iam exercitus ripis insidentes, pérq; vrbes & vicos magnis copijs excurrere · quapropter haud leuiter Illyricas nationes cõterminas vicinásq; Italiæ periclitari. Opus esse igitur ipsius præsentia, totóq; quantum secum exercitum haberet. Hæc & formidinem Alexandro, & Illyricis militibus mœstitiam attulerunt. quippe duplici se calamitate vsos intelligebant, quòd & ipsi male accepti in acie aduersus Persas fuerant, & suos domi cæsos à Germanis audiebant. Quare indignabantur, atq; Alexandro succensebant tanquam res in Oriente prius vel metu vel negligentia prodidisset: nunc autem rebus ad Septẽtrionem vocantibus, metu cunctaretur. Erant autẽ Alexander iam atq; amici illius etiã de ipsa Italia soliciti. Neq; enim par periculum à Persis, atq; à Germanis impendebat. Nam qui sub Orientem habitant, magno terrarũ marisq; interuallo discreti, Ita-

liæ vix nomen audiunt. At Illyricæ gentes angustæ videlicet, neq; multum agri Romanis subiecti possidentes, solæ discrimen faciunt inter Italiā atq; Germaniā. Edicit itaq; profectionē ingratis atq; ægre ferēs, sed vrgente tamē necessitate. Relictis autē copijs quātas fore satis tuendis Romanis ripis arbitrabatur, castrisq; & castellis diligentius cōmunitis, ac præsidio firmatis, ipse aduersus Germanos cū reliqua omni multitudine approperabat. Confectóq; celeriter itinere, constitit ad Rheni ripas, atq; ibi res ad bellum necessarias comparabat: pontémq; primo iūctis inter se nauigijs fecit in Rheno flumine, vt per eū exercitus transgrederetur. Quippe hi maximi fluminū sub Septētrione ferūtur, Rhenus, ac Danubius: quorū alter Germanos, alter Pannonios præterfluit. atq; æstate quidem nauigabiles altissimo latissimóq; alueo, per hyemem dein concreti gelu, camporū in morem perequitantur. Est autem adeo eius aluei solida glacies, vt non equorum vngulis tantum, pedibúsq; virorum subsistat, sed qui hausturi inde sunt, nō tam vrnas aut vasa alia secum afferāt, quàm secures ac dolabras, vt cæsam inde aquam sine vase vllo veluti lapidem absportent. Hæc igitur illorum amnium natura est. Alexander autem Mauros complureis, ac vim ingentem sagittariorū quos secum ex Oriente adduxerat, partim ex agro Osrhoënorum, partim è Parthia transfugas, pecuniáve illectos, aduersus Germanos instruebat. Quippe huiuscemodi milites maxime Germanos infestant, cum et Mauri lon-

Rhenus ac Danubius maximi in Septētrione fluuij.

gius iacula intorqueant, sintq; faciles ad incursus recursúsque, vtpote leues, atq; expediti: & sagittarij nuda Germanorum capita, prægrandiáque illa corpora facilè eminus veluti signum aliquod contingant. Nonnunquam vero etiam collata acie res gerebatur, ex qua Germani persæpe haud impares Romanis abibant. Cum in his Alexander versaretur, decreuit tamen oratores ad illos de pace mittere, qui pollicerētur omnia illis principem Romanū, quorum foret opus, præbiturum, pecuniásq; daturum magna copia. Sūt enim Germani pecuniæ in primis auidi, nūquāq; non auro pacem Romanis cauponantur. Quare Alexander pacem fœderáque potius ab illis emercari, quā periclitari bello tēdebat. Cæterū miles Romanus iniquo animo ferebat frustra se tempus terere, nulla occasione fortiter quicquā animoséq; gerēdi, intento aurigationibus (vt aiebant) ac delicijs Alexandro, cum contrà oporteret vindicare potius Germanos, pœnásq; ab ijs exigere audaciæ. Erat autē in exercitu Maximinus è quodā Thraciæ & quidē intimæ vico, semibarbarus homo, & qui à pueritia opilio fuisset, dein vigente ætate ob corporis proceritatem, viresque ingentes, equo stipēdia fecerat: postremóque fortuna quasi manuducente ac præuia, cū per omnes militiæ gradus ascendisset, etiam ad exercitū prouinciarúmque præposituras euaserat. Hunc igitur Maximinū, ob eam quā supra diximus rei militaris peritiam, tyronibus vniuersis Alexander præfecerat, quos ad militiæ munera exerceret, atque ad bellan-

Germani pecuniæ auidi.

Maximinus Thrax.

dum idoneos redderet. Qui cũ in eo negocio nihil sibi ad omnem diligentiam reliqui faceret, maximã scilicet à cuncto exercitu gratiam inibat non solum quæ gerenda forent, assidue edocẽs, sed ipse etiam primus obiens quæ vsus posceret, vt non discipulos tantũ, sed æmulos etiam atque imitatores haberet suæ virtutis: quos etiam muneribus, omniq́ʒ genere honorum sibi adiungebat. Quapropter adulescẽtes, quorum bona pars ex Pannonia erat, læti virtute Maximini, vulgò obtrectabant Alexandro, quòd sub matris authoritate adhuc esset, nihilq́ʒ non ex arbitrio consilióque illius administraret, bellúmq́ʒ segniter & timide gereret, ferentes identidem sermonibus inter se quantum detrimenti cũctatione illius in Oriẽte accepissent, nihilq́ʒ adhuc fortiter ac viriliter gestum aduersus Germanos. Quare & suapte natura proni ad res nouandas, & tam longum principatũ grauati, minus iam lucrosum omni ambitione pridem consumpta, tum sperãtes alterum mox principem adepto præter expectationẽ imperio plus aliquantum vtilitatis honorúmque ipsis ac studij delaturum, decreuere Alexandrum obtruncare, ac Maximinum vocare Augustum, cõmilitonem videlicet, & contubernalem, prætereáq́ʒ rei militaris peritia maxime præsenti bello idoneum. Cum igitur frequentes in campum conuenissent, venienti de more ad exercendos tyrones Maximino, dubium ignaro, an re prius composita, purpuram circũdant, imperatorémq́ʒ salutant. Ille primo reniti, & abijcere purpuram. Ut autem nudos intentari gladios à militibus

vidit, occisuros nisi cederet minitātibus, futurū quàm præsens periculum præoptans, honorem scilicet recepit, fortunámque illam sæpe (vt aiebat) oraculis ac somnijs præmonstratā, testatus milites prius inuitum retrectantémq; se cogi, sed illorum tamen obsequi voluntati. Quamobrē quæ ipsis placuerint, re sanciant: sublatísq; armis etiam prænēto rumore Alexandrum iam rei totius ignarum opprimāt: vt milites illius ac stipatores re subita perterriti, aut sponte cū reliquis consentiant, aut certe dum imparati sunt, nihílq; eiusmodi expectant, etiā ingrati subigantur. Postea vero quàm beneuolentiam omnium atq; alacritatem prouocauit, duplicata scilicet annona, ingentíq; promisso donatiuo, pœnísque omnibus ignominiísque remissis, cōfestim ad Alexādri tabernaculum, quod haud procul abesset, vniuersos educit. His ille nunciatis, vehementer rei nouitate perturbatus atque exterritus, prosilit è tabernaculo, vesano similis: lachrymánsque & tremens nunc Maximinum perfidum ingratúmq; vocare, enumeratis quæcunq; in illum beneficia contulisset: nunc tyrones accusare, qui neglecto sacramēto adeo proteruiter id facinus auderent: postremo autem polliceri daturum se quæ vellent, emendaturúmque siqua desyderarent. Sed milites qui eum tuebantur, faustis in præsens acclamationibus prosecuti, defensuros eum cunctis viribus affirmabant. Nocte autem exacta, cum iam lucesceret, nunciantibus quibusdam adesse Maximinum, puluerémq; haud procul excitatū videri, ac voces magnæ multitudinis exaudiri:

rursus in planitiẽ egressus Alexander, conuocare milites, rogare vt se defenderẽt, tuerentúrq; eum quem ipsi educauissent, quóq; iam quatuordecim annos imperante, sine vlla querela vixissent. Commotisq; miseratione omnibus, arma capere, ac resistere hostibus imperabat. At milites etsi omnia principi pollicebantur, paulatim tamen alij aliò dilabebantur. Quidam etiam præfectum prætorij, atque Alexandri familiares ad supplicium deposcebant, ortam ab illis defectionem causantes. Alij matrem ipsius accusabant, auaram fœminam, & quæ pecunijs cõgerendis, ob sordes nimias, parsimoniámq; erga milites, inuisum cunctis Alexandrum reddiderit. Igitur aliquandiu hæc inter se diuersi dictitantes, stabant adhuc tamen. Ut vero exercitus Maximini in conspectum venit, atque hortari commilitones cœpit vt mulierem sordidam, & pusillum adulescentem etiam tum sub matris seruitio stantem desererent, séq; viro forti probóque aggregarent, commilitoni ipsorum, atque in armis semper bellicísque muneribus versato: confestim vniuersi ab Alexandro desciuerunt, atq; vnanimiter imperatorem Maximinũ consalutauerunt. At ille tremens atq; exanimatus in tabernaculum reuertitur, matríq; implicitus, & (vt aiunt) conquerens atq; incusans quòd ob illam talia pateretur, expectabat interfectorem. Maximinus autẽ postquam eum exercitus vniuersus Augustum appellauit, tribuno & centurionibus aliquot negocium dat Alexandri matrísque vnà, & quicunq; vim contrà facerent, occidendorum.

Qui facto impetu in tabernaculũ, statim ipsum cum matre, amicisq;, & honoratissimo quoq; obtruncãt, exceptis qui paulo antè fuga sibi ac latebris consuluissent: quos tamen vniuersos haud multo post cõprehensos Maximinus ipse morte affecit. Hunc finẽ habuit vitæ Alexander vnà cum matre, cum annos quatuordecim sine vlla subiectorum querela, atque adeo sine sanguine imperasset. Siquidem à cædibus & crudelitate abhorrens, neminem nisi iudicio damnatum perire patiebatur, ad humanitatẽ videlicet ac beneuolentiã propensus. Quapropter nisi filiũ mater auara ac sordida infamasset, nihil planè desyderari in illius gubernatione imperij potuisset.

Alexãdri finis

Matres, filiorũ pernicies.

HERODIANI LIBER SEPTIMVS.

1 Valem se gesserit Alexãder quatuordecim annorũ imperio, superiore volumine exposuimus. Interea Maximinus rerum potitus, mutata vehementer rerum conditione, aspere ferocitérque adepta potestate vtebatur, sic vt ex molli mansuetóq; imperio ad tyrãnidis crudelitatem vertere omnia cõtenderet. Nam cum se inuisum hominibus cognosceret, quòd primus ex infimo loco ad eam fortunam peruenisset, præterea moribus perinde vt genere Barbarus, patrióque instituto cædis auidissimus, ad id potissimum dabat operam, vt imperium sibi sæuitia constabiliret, scilicet metuens ne

Senatui reliquisq; omnibus Romanæ ditionis hominibus contemptibilior fieret, dum non tam in eo præsens fortuna, quàm natalium obscuritas spectatur. Quippe iam id tritum vulgatúmq; apud omnes, opilionem fuisse in Thraciæ montibus, dein corporis vastitate ac robore inter eius regionis tenuissimos milites adscitum, quasíq; manu ductum à fortuna ad Romanum imperium. Quare omnes confestim amicos cōsiliariósq; Alexādri à Senatu lectos sustulit è medio, partímq; Romam dimisit, partim administrationem rerum causatus officio priuauit. Id eo cōsilio fecit, vt solus esset in exercitu, neminémque prope se haberet ex consciētia nobilitatis potiorem, sed velut ex arce quadam citra vllius reuerētiam tyrannidis operibus vacare posset. Omniáq; Alexandri ministeria, quibus ille per tot annos vsus fuerat, ex aula eiecit, plurimis etiā interfectis, quòd insidias videlicet suspectaret, quādo omnes illius interitu mœstos esse intelligebat. Cæterum magis magisq; crudelitatem iritauit cōiurationis cuiusdam in se delatio, conspiratis in vnum cēturionibus permultis, omniq; Senatu Romano. Magnus erat quidam nomine, patricius & consularis, qui delatus imperatori est quasi manū contra ipsum compararet, ac militibus persuaderet vt ad se imperium transferrēt. Consilium autē huiuscemodi fuisse putatur. Pontem cōstruxerat Maximinus supra flumen, quà aduersus Germanos transiret. Vt enim primum summam rerum suscepit, statim bellica facinora affectauit. Siquidem ob immanem corporis staturam,

& militare robur, ac peritiam pugnandi, adscitus ad imperium, re ipsa famam confirmare atque opinionem militum tendebat, vt metum illum & cunctationem Alexādri in prælijs capessendis iure improbatā fuisse coargueret. Quare nihil sibi ad exercēdos milites reliqui faciebat: & cum ipse in armis assiduus erat, tum exercitum vehementer adhortabatur. Sed tum constructo (vt diximus) ponte, transire in Germaniam statuerat. Cæterum Magnus haud sanè paucis militibus, sed qui virtute cæteros anteirent, atque ijs potissimum quibus custodia pontis curáque fuerat demādata, persuasisse dicebatur vt simul ac Maximinus in alteram ripam peruasisset, ponte abscisso, reditúque intercluso Barbaris eum proderent. Siquidem tanta erat amnis illius profunditas ac latitudo, vt irremeabilis fore videretur, nullis præsertim nauigijs in aduersa ripa. Talia scilicet sermonibus ferebantur, incertum vero, an composita fraude. neque enim facilis sentētia, parum explorata re, citráque iudicium aut defensionē vllam correptis interfectisque omnibus quoscunque suspicio attigerat. Sed & militū Osrhoënorū defectio nōnulla oborta est. Nam cum magnopere indoluissent Alexandri nece, ac forte fortuna in quendā ex illius amicis, cui nomen Quartino fuit, paulo ante è castris à Maximino dimissum incidissent, correptū, atque retractantem, neque tale quippiā cogitantem, ducem sibi delegerunt, purpuráque eum, prælatóque igni, funestis scilicet honoribus condecoratum, nihilóque minus optantem, ad imperium protulerunt. Qui tamen haud diu

post in tabernaculo dormiens, à contubernali quodam suo, & (vt credebatur) amico, per insidias occiditur. Macedoni nomen fuit, qui & antea Osrhoënis præfuerat, & nunc primus eisdem author fuerat deficiēdi à Maximino. Cúmq; nulla subesset odij aut inimicitiarum causa, tamen eum occidit, quem ipsemet corripuerat, atq; ad suscipiendum imperium perpulerat. Sed enim magnopere tunc gratū se Maximino facturum putans, abscissum Quartino caput dono obtulit. Verum Maximinus quanuis eo facinore lætus, gaudénsq; præreptum sibi hostem, tamen illum haud modica sperātem, putantémq; sibi insignem gratiam relatum iri, extremo supplicio affecit, ceu defectionis authorē, interfectorémq; eius cui facinus inuito persuaserat, atq; infidum homini quem antea pro amicissimo habuisset. Huiusmodi igitur causæ magis magisq; animū exasperabant Maximini, atq; ad sæuitiā exacuebant, etiā antea sua sponte crudelissimū. Cæterū aspectu quoq; erat horrendus, vasto atq; immani corpore, vt nemo illi vel exercitatissimorū græcorum, vel pugnacissimorū Barbarorū conferri possit. His ita dispositis rebus, collecto exercitu omni, ac pōte intrepide pertrāsito, bellum Germanis intulit. Secuti illum magna vis mortaliū, ac penè omnes Barbarorū copiæ, ad hæc Maurusij iaculatores, sagittarijq; ꝙ plurimi, præterea Osrhoëni, & Armenij, quorum hi Romanis subiecti, illi in amicitiam fuerant societatémque adsciti: tum siqui ex Parthis aut pecunia conducti, aut transfugæ, aut item capti bello Romanis seruiebant.

Hæc autẽ multitudo coacta ab Alexãdro prius, aucta dein atq; exercita à Maximino fuerat. Cæterum iaculatores sagittariiq; gerẽdo aduersus Germanos bello magnopere idonei videntur. siquidem expediti hostem opprimunt incautum, facileq; rursus in tutũ se recipiunt. At vero Maximinus hostilem ingressus agrũ, diu nemine qui resisteret inuento (quippe omnes abscesserant Barbari) regionem illorum depopulabatur, maturis iam segetibus: vicósq; omnes incendendos diripiendósq; militibus tradebat. Sunt autẽ vrbes ædificiáq; illa maxime incẽdijs obnoxia, rara apud Germanos structura è lapide ac lateribus coctilibus, densisque potius syluis, quorum confixis coagmentatisque lignis quædam quasi tabernacula ædificant. Igitur Maximinus in eam regionem grassatus, populatis segetibus, omniq; pecore captiuo militibus permisso, nullos adhuc hostes inuenerat. Siquidem campestres regiones, locáq; ab arboribus pura deseruerant, atque intra syluas & paludes delituerant, vt inde præliarentur, atq; eruptionem in hostem facerent. Etenim densitas illa arborum, sagittis iaculisq; hostium allatura impedimentum, & paludum altitudo periculosa Romanis locorum ignaris, ipsis autem facilis expeditáque fore videbatur, non ignaris quæ vsquam peruia, quæ inuia, & genuúm tenus quotidie per illas discursantibus. Sunt autem Germani peritissimi natandi, vt qui tantummodo in fluminibus lauentur. In huiuscemodi igitur locis pugna inita: vbi etiam imperator ipse Romanus fortissime prælium inchoauit.

Germani natandi peritissimi.

Nam cum ad ingentem quandam vastámq; paludẽ ventum esset, intra quam Germani fuga se receperant, verentibus Romanis eodem hostes insequi, primus Maximinus equo paludem ingressus, cum quidẽ etiam supra aluum equus voragine hauriretur, magna vi repugnantes Barbaros contrucidauit. Quare exercitus reliquus pudore instinctus, ne prodere pugnantem pro se imperatorem videretur, ausus & ipse est paludem ingredi: multiq; vtrinq; ceciderunt, ita tamen, vt nullus penè Barbarorum fuerit reliquus, dimicãte insigniter Romano principe. Quare & stagnum cadaueribus oppletum, & palus sanguine confusa, pedestris prælij naualem faciem præferebat. Hanc igitur pugnam, suáq; ipsius fortia facinora non solum per literas senatui populóq; Romano significauit, sed etiam depictam maximis imaginibus ante curiam publicauit, vt non tam audire quæ gesta forent, quàm etiam subijcere oculis Romani possent. Eam tabulam deinde vnà cum reliquis illius honoribus senatus sustulit. Fuere item alia prælia, quibus omnibus ipse manu pugnam capessens, ac fortissime dimicans explendescebat. Multisq; captiuis, atq; ingenti abacta præda, instante hyeme in Pannoniã reuersus est: intráq; vrbem Sirmiũ, quæ maxima omniũ eius regionis habetur, in hybernis agens, ad vernã sese expeditionem comparabat, identidẽ minitans, id quod etiã præstiturus videbatur, excisurũ subacturũq; Oceanó tenus omnes Germaniæ Barbaras nationes. Talis vtiq; fuit in bellicis negocijs, maximã rebus

gestis claritudinē adepturus, nisi grauior multo suis ac truculētior, quā ipsis fuisset hostibus. Quo enim Barbaros interemptos, si longe plures in ipsa vrbe Roma subiectisq; nationibus cædes edebātur? Quid prædam, aut captiuos abactos proderat, si suis fortunis Romanæ ditionis mortales quotidie despoliabantur? Quippe omnis non modo libertas, sed instigatio quoq; delatoribus permissa, vt circūuenire quos vellent, renouaréq; etiā (si ita vsus posceret) vsq; à progenitoribus ignota atq; indeprehensa ad eam diem crimina liceret. Neq; sanè delicti alicuius quispiam arcessebatur, quin idem continuo reus perageretur, ac censu fortunisq; omnibus expelleretur. Itaq; quotidie cerneres qui pridie opulētissimi fuissent, eos nūc emendicare stipem. Tanta videlicet tyrannidis auaritia incesserat, assiduas erga milites largitiones obtendētis. Erant præterea illius aures omnibus calumnijs patulæ, sic vt nullius vel ætatis vel dignitatis rationem haberet. Igitur complures exercitibus aut prouincijs præpositos consulares triumphalésq; viros leuissima tenuissimáq; calumnia attactos, corripi deimprouiso iubebat, ac sine vllis ministerijs solos vehiculis impositos die noctúq; iter facere ab Oriente aut Occidente, si ita cecidisset, itémq; à Meridie in Pannoniam vsq;, in qua tunc ipse morabatur, dein spoliatos, omniq; ignominia affectos, exilio vel morte puniebat. Quādiu igitur vnus aut alter talia patiebantur, neq; ea calamitas extra ipsorum familiā egrediebatur, non sanè magnopere populorū gentiūq;

intereſſe videbatur. SIQVIDEM BEATORVM diuitúmq; res aduerſæ nō ſolum à plebe negliguntur, ſed eis nonnulli etiā prauo malignóq; ingenio, ob inuidiam ſcilicet potentiorum atque felicium, delectātur. Poſtquam autem Maximinus plurimas illuſtrium virorum familias ad egeſtatem redegit, leuiora iam illa ac minora ducens quā vt ipſius cupiditati ſatisfacerent, animum ad publicas opes trāſtulit. Igitur quæcunq; pecuniæ ciuiles, aut ad publicam annonam repoſitæ, aut in plebem diuidendæ ſupererant, tum quæ theatris ac celebritatibus ſeruiebant, vniuerſas ſibi adiudicauit. Ad hæc, templorum omnium donaria, ſtatuæq; deorum, heroúmq; honores, tū quicquid publici operis, aut ciuilis ornamēti, aut materiæ deniq; fuit nummis idoneæ conficiundis, omnia pariter ignibus conflabantur. Quæ res in primis animos multitudinis exulcerauit, quaſiq; luctum publicum effecit, cum citra pugnam atque arma quaſi oppugnationi eſſe vrbs obnoxia videretur, ſic vt quidam è populo cōtra reſiſtere, templáq; auſi tueri, etiam cadere ante aras deorum immortalium, quàm ſpectare patriæ ſpolia præoptauerint. Hinc itaq; potiſſimum per vrbes atque nationes popularium animi intumuerant, ac nec milites quoque ſatis æquo animo ferebant, exprobrantibus inuidioſe conſanguineis atq; domeſticis, & ipſorum culpa talia patrare Maximinum dictitantibus. Huiuſcemodi igitur cauſæ, minime profecto leues, ad odium ac defectionem populos proritabant. Cæterum votis tan-

Potentū infortuniis plebs delectatur.

tummodo agebant, læsa implorãtes numina, nullo scilicet audente profiteri se vindicẽ, donec exacto imperij triennio, exigua leuiq; occasione (vt sunt lubricæ tyrannorum res) primo arma sumpserunt, rebellarúntq; Afri, tali causa. Procurator erat quidã Carthagini, cui nihil ad extremam vel asperitatem vel sæuitiam deerat. Is damnãdis iudicio hominibus, exigendísq; pecunijs fauorem principis aucupabatur. Siquidem Maximinus quos sibi factos cognoscebat, eos potissimum diligere consueuerat. Quicũq; igitur fisci rem curabant, si modo viri probi forẽt (quod perraro eueniebat) aut procuratione exciderãt, aut præsenti periculo cõterriti, gnaríq; illius auaritiæ, quãuis inuiti, cæteros imitabantur. Quapropter Africæ procurator cũ pleraq; alia violẽter factitabat, tũ ab adulescẽtibus quibusdã nobilibus atq; opulẽtis dãnatione circũuentis, stati exigere pecunias intenderat, patrimonióq; illos & auitis bonis exuere. Quibus rebus exacerbati adulescentes, pecuniam quidẽ se daturos pollicentur, petito trium dierum spatio. conspirantésque interim in vnum quicũq; graue aliquid vel passi fuerant, vel passuros metuebant, iubent nocte ex agris iuuentutem cum fustibus ac securibus adesse. Illi dominorum imperia exequentes venere ante lucẽ vniuersi in vrbem, celantes sub vestibus arma quæ cuiq; tumultuaria se obtulerant. Magna vero vis mortalium confluxere. siquidem fœcũdissima hominũ Africa, plurimos tunc etiam agrorum cultores habebat. Vt autem dies iam illuxit, iubent adulescentes ponè

sequi seruorum suorum gregem, tanquã si è reliqua essent populi multitudine, neq; tamen arma proferre prius, ac vim facere, quàm vbi aliquos aut è militibus aut è populo viderint irruere contra se, atq; ire vltum facinus quod gesturi mox essent. Ipsi recõditis intra sinum pugionibus, adeunt procuratorẽ tanquã cũ eo de persoluendis pecunijs acturi: continuóq; nihil tale suspicantem neci dedunt. Ibi exertantibus gladios illius militibus, atq; ire vltum volẽtibus, repente agrestes cum fustibus ac securibus occurrunt, fortitérq; pro dominis pugnãtes, facilè omnes in fugam verterunt. Ad hunc modũ negocio succedente, iuuenes desperatis semel rebus, vnã sibi reliquã salutem fore arbitrati, si patratum nuper facinus maiore aliquo facinore cumularent, statuunt in cõmunionem periculi rectorem prouinciæ assumere, ac populos ad defectionem solicitare: quod optari iam pridẽ ab vniuersis cognouerant Maximini odio, sed metu prohiberi. Igitur cum omni multitudine nocte intempesta domum proconsulis petunt. Is Gordianus fuit proconsulatum sortitus eũ cum annum ageret circiter octogesimum: multarúmq; antè prouinciarũ fuerat rector, atq; in maximis spectatus negocijs. Quocirca facilè susceptum iri ab illo imperium existimabant, quasi fastigium aliquod superiorũ dignitatum, senatuiq; & Po. Ro. gratum futurum principem, qui præterquã quòd erat illustri ortus genere, etiam per honores plurimos quasi per gradus quosdam ad imperij culmen ascendisset. Euenit autem vt quo die hæc

Gordianus proconsul.

agebantur, domi Gordianus resideret, dilatis laboribus, omniq; actu rerum suspenso. Igitur adulescentes cum gladijs magna stipante multitudine, proturbatis ianitoribus impetum in ædes faciunt, eúmq; supra grabatum requiescentem offendunt: circũfusique senẽ purpura induũt, atq; augustalibus honoribus consalutant. Ille re subita exterritus, insidiásq; & dolum in se compositũ ratus, deijcit humi se ex grabato, obsecrans parcerent seni, à quo nihil iniuriarum accepissent, fidémq; principi & beneuolentiam seruarẽt. Instantibus autem illis, ac nudos manu gladios tenẽtibus, cũ partim metu, partim ignoratione haudquaquam sciret Gordianus quid sibi ea res vellet, quæq; subitæ fortunæ causa foret, vnus è numero adulescẽtium, qui et nobilitate & facundia cæteros anteiret, reliquis tacere, & paulisper quiescere iussis, dextra capulum tenens, in hanc sententiam verba fecit:

A metu, & rei necessitate.

E duobus periculis, quorum alterũ præsens manifestúmq;, alterum futurum forsitan, dubiiq; euentus, eligendum tibi hodie alterutrũ est, vt aut nos téque vnà serues, & spem meliorẽ, qua omnes freti sumus, amplectaris: aut iam iam nostris manibus intereas. Quòd si potiora malueris, multa ad spem bonã viatica sunt. Quippe inuisum omnibus Maximinũ, pestémq; illam crudelissimæ tyrannidis tolles, vitámq; antehac præclare tibi actam, illustri gloria cumulabis, maximósq; à S.P.Q.R. honores, ac sempiternam laudem nanc isceris. Sin vero abnueris, ac nobiscum conspirare pernegaueris, iam iam te hic obtrun-

cabimus, atq; ipsi quoq; (si oportuerit) occiso tibi immoriemur. Maius nanque facinus ausi sumus, quàm vt salui esse citra desperationem possimus. Iacet enim tyrannidis minister, luitque pœnas crudelitatis, nostris nunc nuper manibus interemptus. Quapropter si consenseris nobiscum, atque in partem periculorum accesseris, cum ipse honorem imperij consequêris, tum quod nos facinus perpetrauimus, laude quàm supplicio dignum reputabitur. Dum hæc loquitur adulescens, impatiens moræ cætera multitudo, cum quidem eodem iam ciuitas vniuersa re vulgata concurrisset, Gordianum vnanimes Augustum appellant. Ille quãuis recusaret, ac senectutem obtenderet, tamen suapte natura gloriæ auidior, haud ægre tandem honorem suscepit, malens futurum dein, quàm præsens iam periculum subire: simul ætate iam exacta minime recusandum putabat, quin (si ita res posceret) etiam imperatorijs honoribus immoreretur. Igitur statim tumultuari omnis Africa, sublatisque Maximini honoribus ciuitates pleræq; imagines Gordiani ac statuas ponere. Sed eum quoq; à se cognominarunt Africanum. nam qui ad Meridiem Libyes habitant, Afri Romana voce nuncupantur. At Gordianus aliquot dies Thystri commoratus, qua in vrbe hæc acta fuerant, nomẽ imperatoris iam cultúmque gerens, Carthaginem proficiscitur, vt in ciuitate maxima celeberrimáque omnia quasi Romæ agitarentur. Siquidem vrbs illa vel opibus, vel populi frequentia, vel magnitudine tantum Romæ con-

Gordianus gloriæ auidior

cedens, cum Alexandri vrbe Ægyptiaca de secunda palma contendit. Sequebatur autem ipsum principalis pompa omnis, militésq; quicũq; aderant, iuuenésq; vrbani procera statura, ad eorum similitudinem qui Romæ imperatorem comitantur: virgæ item laureatæ, quo insigni principes à priuatis dignoscũtur, prætereáq; ignis de more præferebatur, vt speciẽ fortunáq;, exiguũ sanè ad tẽpus, Romanæ ciuitatis Carthago repræsentaret. Cæterum Gordianus literas compluréis ad primum quẽq; Romam missitabat, atq; ad proceres senatus, quorum erant ei permulti amici, ac necessarij. Scripsit item publice ad S.P.Q.R. significans Afrorum erga se consensum, simúlq; accusans Maximini crudelitatẽ, quã esse omnibus magnopere inuisam sentiebat. Ipse omnem præ se mansuetudinẽ ferebat. Nam & delatores omneis exilio affecit, & ijs qui parũ iusto iudicio damnati fuerãt, iterũ defendendi sui potestatem indulsit. quin exules quoque in patriam restituebat: ac militibus plura se quàm quisquam antea, largiturũ, populóque ingens daturũ congiarium pollicebatur. Idem præfectum quoque prætorij Vitalianum, ferum crudelemque hominem, charissimum deuotissimũq; Maximino, in ipsa vrbe curauit interimendum. Siquidẽ suspectans ne ille suis inceptis fortiter resistendo, cæteros quoq; metu deterritos à se auerteret, mittit prouinciæ quæstorem adulescentẽ audacissimũ, corpore validum, atq; ætate florentem, promptúmq; ad omne periculum pro se suscipiẽdum, traditis centurionibus ac militibus non-

Vitalianus interemptus.

nullis: cui etiã literas dedit obsignatas duplicibus tabellis, per quas arcana occultaque negocia significare imperatores consueuerunt. Iubet itaque illos intrare vrbem ante lucem, ac dum adhuc in actibus occupatus esset Vitalianus, accedere ad eum intra cellulam vbi res secretas atq; arcanas ad salutem principis pertinentes scrutari atq; inquirere consueuerat, habere se ad eum literas arcanas à Maximino dicẽtes, ac velle etiam remotis arbitris de rebus ad securitatem imperatoris spectãtibus cum illo colloqui, ac mãdata principis exponere: dein signis agnoscendis occupatum, pugionibus, quos in sinu occultos haberẽt, deimprouiso confoderent. Quæ scilicet omnia ex sententia successerunt. Etenim ante lucem, quo tempore prodire illi mos fuerat, inueniunt hominẽ penè solum, paucis tantum circunstantibus. quippe alij nõdum venerant, alij salutato abierant, prius quàm dilucesceret. Igitur vacante illo, ac paucis duntaxat ante cellulam inuẽtis, vbi quæ supra diximus nunciauerunt, facilè scilicet intromissi sunt: porrectísq; epistolis, contemplantem eum signa diligentius, prolatis pugionibus cõfodiunt, nudósq; eos manibus præ se tenentes prosiliunt, omnibus loco cedentibus. Nam id Maximini factum imperio putabant, quando idem sæpenumero etiam in eos facere consueuerat, qui antea ipsi charissimi videbantur. Dein vadentes media Sacra via, proponunt epistolam Gordiani ad populum, literásque item ab illo consulibus ipsis cæterísq; reddunt, vulgata etiã fama interfecti Maximini. Quod vbi auditum est, statim

vniuersus populus discurrere vndique furenti similis. Nam etsi vbique vulgus semper ad res nouas leuissimum, tamen Romana plebs in primis, quæ ex magna variáque etiam peregrinorum multitudine constat, longe cæteris mobilior est. Igitur statuæ atque imagines Maximini, cæteriq; honores statim cõuulsi, clausúmq; antea formidine odium, licentia iam & potestate adepta, nullo prohibente effundebant. Quare Senatus quoq; frequens, etsi de Maximino certi nihil habebat, ex præsenti fortuna rem coniectans, abolitis illius honoribus, Gordianum filiúmque ipsius augustos declarauerunt: statimque delatores atque accusatores vniuersi aut effugerunt, aut ab ijs quos offenderant, occidebantur. Procuratores autem, & qui ius in illius crudelitatis ministerium dicebant, tracti à plebe sunt, abiectique in cloacas. Multi item insontes occisi. Nam & creditorem suum quisque, & aduersarium in forensibus causis, & vt quenque aliquis leuissima de causa oderat, impetu in domum facto, bonisque direptis, trucidabant. Ita sub specie libertatis, pacisque prætextu, ciuilis belli facinora edebantur. quin præfectum quoq; vrbi Sabinum prohibere talia conantem fuste capiti illiso mactauerunt. Hæc igitur populus agitabat. Enimuero Senatus quando iam semel periculum subierat metu Maximini, nihil sibi ad solicitandas ad defectionem prouincias reliqui faciebat. Quocirca legationes vndiq; ad rectores prouinciarum mittebantur, electis è senatorio equestrique ordine clarissimis hominibus, cum literis, quibus S.P.

Vulgus, & præcipue Romanũ, ad res nouas leuissimum.

Q.R.mens exponebatur: qui procuratores ipſos hortarentur vti cõmunem patriam capeſſerent, curiámque Romanam tuerentur, perſuaderéntq; nationibus vt in fide populi Romani perſeuerarent, cuius proprium antiquitus imperium foret, veterrimúmq; cum illis amicitiæ ius à maioribus inſtitutũ. Quocirca pleriq; legatis benigne exceptis, populos ad defectionem perpulerunt: quod ſcilicet pronum fuit: adeo incredibili apud omnes odio Maximinus laborabat. Igitur omnibus quicunq; apud ipſos magiſtratũ gerentes cum Maximino ſentiebant, repente ad vnum occiſis, ipſi vniuerſi ad Romanos defecerũt. Pauci tamen inuenti qui legatos ad ſe miſſos interficerent, aut ad ipſum mitterent, adhibitis cuſtodibus: qui deinde omnes exquiſitiſſimis à Maximino ſupplicijs affecti ſunt. Hæc mens Romanæ ciuitatis, hic animus fuit. Quæ poſtquam Maximino nunciata ſunt, quanquam triſtis ac ſolicitus, tamen illa ſe cõtemnere ſimulabat: ac primo quidem alteróq; die domi quietus, ad amicos de eo negocio retulit. Cæterum exercitus omnis, cunctíq; eius regionis mortales etſi rem omnem intellexerant, intumuerántq; animis audacia rerum tantarum ac nouitate, tamen pro ſe quiſq; tacebant, ac ſe ignorare omnia ſimulabant. Quippe tãtus erat Maximini metus, vt nihil illum planè lateret, omniúmq; nõ ſolum verba, ſed nutus quoque ſpeciémque oris obſeruaret. Tertio vero die cõuocatis in campũ ante vrbẽ militibus ſuis Maximinus tribunal inſcẽdit, atq; ex libello orationẽ ab amicis cõpoſitã, in hãc ſentẽtiã recitauit.

Incredibile Maximini odium.

Maximini oratio ad milites

Scio me vobis incredibilia nouáq; dicturum, sed (vt ego existimo) non tam admiratione, quàm risu digna. Arma vobis vestræq; virtuti non Germani inferunt sæpe deuicti, non Sarmatæ, qui de pace nobis quotidie supplicāt: Persæ item, qui olim Mesopotamiā peruagabantur, nūc suas intra sedes quiescere boni cōsulunt, cum gloria in armis vestra, tum rerum à me gestarū periculo edocti, quæ iam tum illis innotuerunt, cum tuēti ripas exercitui præfuimus. Verum (ne quid magis ridiculum dixerim) Carthaginēses insaniunt, atq; sene infelicissimo, & extremo iam ætatis delyrāte, dubium suasu, an coactu, quasi aliqua in pompa ludunt principatū. Quo enim freti exercitu, cū apud eos proconsulis ministerio lictores satisfaciant? Quibus porrò vsuri armis, vbi præter lanceas exiguas ad feras excipiendas, nihil sit telorum: próq; bellicis exercitationibus chori tantū, dictáq; procacia, & numeri quidam vsurpentur? Neq; vero vos perterrefecerint quæ facta in vrbe nunciantur. nempe Vitalianus per dolum fraudémq; occisus est. Quàm autē leue instabiléq; sit Romani populi ingenium, quàm prompta clamorum tenus audacia, notissimū scilicet vobis est. Si duos modo trésve armatos cōspexerint, trudentes alter alterum & proculcantes, ac suum quisq; periculum fugitantes, publicum neglectui habent. Quòd siquis vobis etiam quæ acta in Senatu sunt, renunciauit, non est profecto quòd miremini nostram illis continentiā duriorem videri, atq; ob id morū congruētiam vitámq; illius luxuriosam nobis anteferri. Quippe apud illos

fortissima quæq; ac grauissima pro asperrimis, dissoluta atq; ebacchantia pro mitibus voluptariisque habentur. Quocirca nostrum quidem imperium, quoniam industrium atq; moderatũ, reformidant, Gordiani delectãtur nomine: cuius infamia vitæ minime vos præterit. Igitur aduersus hos, atque huiuscemodi homines bellum vobis est milites, si tamen id bellum appellandum. Nam vt mihi quidem atq; adeo cæteris omnibus videtur, non prius Italiam attigerimus, quàm illorũ maxima pars ramos supplices liberósque suos præferentes, nostris se pedibus aduoluẽt, aut formidine degeneri fugam facient, vt mihi liberum sit bona illorũ vobis contribuere, quibus in perpetuum perfruamini.

Hæc cum dixisset, ac multa in ciuitatẽ senatúmq; vniuersum interpellatim probra iecisset, manuúmq; gestibus minabundus, truciq; vultu, nutúq; oris quasi præsentibus irascens, profectionem in Italiam edicit: diuisóque inter milites ingenti stipendio, vno tãtum die interiecto facere iter incepit, magnum secum exercitum, atque vniuersas adducens Romanas copias. Sequebatur eundem etiam Germanorum haudquaquã negligẽdus numerus, quos vel armis subegerat, vel in amicitiam societatémq; adsciuerat: præterea machinæ & bellica instrumenta, quæq; alia aduersus Barbaros comparauerat. Cæterũ tardius iter faciebat ob vehicula, résq; alias vsui necessarias, quæ vndique importabantur. Nam cum repentinum id illi iter obuenisset, non cuiusquam prouidentia, vt consueuerat, sed tumultuario ac festinato ministerio quæ erant mili-

tibus necessaria colligebātur. Igitur præmittere Pannoniorum cohortes decreuit, quibus fretus maxime erat, quæq; primæ imperatorem consalutauerant, atq; vltro etiā pro illius salute omne periculum deposcebant. Iis igitur imperauit vt cæteras copias præcederent, ac regiones occuparent Italiæ. Dum in itinere Maximinus est, res interea Carthagini præter spem magnopere successerunt. Erat enim Capellianus quidam senatorij ordinis vir, procurator Mauritaniæ Romanis subiectæ, quæ ab ipsis Numidia appellatur. Ea gens munita exercitibus fuerat, à quibus Barbarorū incursus ac populationes coërcerentur. Quare haud contemnendam militum manū circa se habebat. Cum hoc igitur Capelliano veteres Gordiano simultates ex forensi quadam disceptatione intercesserant. quocirca nomen adeptus imperatoris, successorem illi misit, atque abscedere prouincia imperauit. Ille ea re indignatus, ac principi suo deuotus, à quo magistratum quoq; eum accepisset, omni coacto exercitu, cum quidem fidem tueri ac iusiurandum persuasisset, Carthaginem contēdit maximas valentissimásque copias secum adducens, virósque cum ætate florentes, tum omni armorum genere instructos, peritósq; rei militaris, atq; ex cōsuetudine præliorum aduersus Barbaros magnopere ad pugnandum paratos. Vt vero nunciatum Gordiano est aduentare ad vrbem Capellianum, & ipse affectus est extrema formidine, & perterriti Carthaginenses vniuersi, qui scilicet in turba potius quàm in exercitus aliquo ordine collocata victoriæ

Capellianus procurator Mauritaniæ.

spe, cuncti pariter vrbe effunduntur obuiam Capelliano. Cæterum senex Gordianus (vt quidam perhibent) simul atque ille Carthaginem attigit, desperatis rebus, quòd Maximino vires ingentes, nullas in Africa copias esse videbat, laqueo se suspēdit: sed occultata illius nece, filium sibi ducem multitudo elegit. Ita ventū ad manus est. Erant autē numero quidem plures Carthaginēses, sed inordinati, ac rerū bellicarū imperiti, quippe in altissima pace educati, festisq; & delicijs emolliti, nudiq; armis, omniq; bellico instrumento. Nam domo quisq; pugionē, aut securem, aut venabulum, aut item præustas sudes, vt quisq; poterat acuminatas, ad tuēdum corpus extulerāt. Cōtrà Numidæ iaculatores optimi, atq; equitādi peritissimi, sic vt equos etiam infrenos virga tantū currentes moderentur. Quocirca facilè Carthaginēsium plebs in fugam versa. Siquidem haud ferentes illorum impetum, omnes abiectis armis confertim effugerūt, trudentésq; inter se & proculcantes, multo sanè plures ipsi inuicē affligebantur, quàm cædebātur ab hostibus. Hic & Gordiani filius cecidit, & quicunq; eum secuti, sic vt præ multitudine interfectorum neq; discerni ad sepulturam funera potuerint, neq; adulescentis Gordiani cadauer inueniretur. Etenim ex tanta copia fugientiū pauci duntaxat vrbem ingressi, coniectiq; in latebras euaserant: cæteri ad portas conferti, ac pro se quisque intrare primi vrbem festinabundi, ab iaculatoribus Numidis cæterisque armatis militibus contrucidabantur, maximo fœminarum puerorúmque eiulatu,

Numidæ iaculatores optimi

quorum ante oculos charissima pignora occidebantur. Sunt qui perhibeant, vt primũ Gordiano, qui propter senium domi se cõtinuerat, nunciatum sit Capellianũ iam in vrbem peruenisse, deplorata salute intra cubiculum se quasi dormiturũ recepisse, collóq; zonæ inserto qua præcinctus fuerat, sibi mortem consciuisse.

Hæc finis Gordiani fuit, felicis anteacta vita, atq; in quadã principatus imagine extincti. Sedenim Capellianus Carthaginem ingressus, præcipuum quenq; ex ijs qui è pugnã superauerant, neci dedidit: ac neq; à templis despoliandis, neq; à publicis priuatísq; pecunijs diripiendis abstinuit: aditísq; vrbibus reliquis quæcunque honores Maximini sustulissent, in his præstantissimum quenq; morte, cæteros supplicio afficiebat: agros autem vicósq; concremandos militibus tradebat, prætextu quidem vlciscendi Maximinum: cæterum clanculum militum sibi animos concilians, vt sicubi res à Maximino titubassent, ipse ad occupãdum principatum beneuolis militibus vteretur. Ita se videlicet res in Africa habebant. Postea vero quàm Romæ audita senis Gordiani mors est, ingens perturbatio S. P. Q. R. ingénsq; terror inuasit, extincto in quem vnum spes omnes suas collocauerant. Neq; enim illos præteribat nemini iam parsurũ Maximinum, cum sponte alienum ab ipsis, atq; hostili animo, tum iustis etiam causis, & professo quasi odio succensentem. Itaq; frequentes in vnum cõuenere, ac de toto negocio deliberantes, quando semel in periculum venerant, bellum comparare decreuerunt, duobus electis

imperatoribus, qui Rempub. pari potestate administrarent, ne rursus principatus authoritas in tyrannidem proueheretur. Conuenerunt igitur non quidem in curiam, quo antea consueuerant, sed in templum Capitolini Iouis, quod in arce summa præcipuæ venerationis Ro. habent. ibi clausis foribus soli quasi teste et confessore atq; adeo rerum omnium inspectore deo, selectis qui ætate ac dignitate cæteros anteirent, de quibus suffragia ferrentur, duo ex omni numero Maximus atq; Albinus plurimis suffragãtibus imperatores creati. Horum Maximus cum sæpe exercitibus præfuerat, tum præfectura vrbi egregie gesta maximam ingenij prouidétiæq;, præterea vitæ continentis opinionem vulgo de se præbuerat. Albinus autem patricij generis homo, consulatu iterũ gesto, multisq; prouincijs sine vlla querela administratis, morũ simplicior habebatur. Ita creati principes, augustiq; appellati, ac senatusconsulto omnibus imperatorijs honoribus affecti sunt. Dum hæc aguntur in Capitolio, interea Po. Ro. incertum subijcientibus Gordiani amicis ac necessarijs, an tantum rumoribus exciti, facto ad portas concursu, viam qua itur in Capitolium, totam cõferta multitudine occupauerant, lapidésq; & fustes ingerentes, rebus in Capitolio actis aduersabantur, ac Maximum in primis recusantes, seueriorẽ scilicet quàm vt eum lenis multitudo facilè pateretur. Quapropter eo maxime offendebãtur, clamantes identidẽ ac minitantes vtrunq; se confestim occisuros. Nam ipsi ex Gordiani genere

Romæ imppe. duo electi, Maximus & Albinus.

principē sibi deposcebant, vt in familia nominéq; eo nomen imperatorium remaneret. Albinus autem ac Maximus equestris ordinis iuuentute, atque vrbanis militibus cū gladijs vndiq; stipati, egredi Capitolio conabantur, sed lapidibus ac fustibus coërciti, donec subijciente nescio quo, ad hunc modū populo imposuerūt. Erat puer quidā infans adhuc ex Gordiani filia natus, nomen aui referens. Hūc igitur submissis quibusdā afferri ad se iusserūt. Qui cū domi eum ludibūdum offendissent, impositum in humeros per mediam ferebant multitudinem, plebi ostentātes, ac nepotulū Gordiani dictitātes, vocantésq; eū nominatim, quoad in Capitolium pertulerunt, populo subinde acclamāte, & conspergente puerum frondibus. Cum itaq; senatus Cæsarem illum declarasset, quando adhuc per ætatem Rempu. gerere non poterat, & iræ multitudinis resederant, passi videlicet sunt in aulam palatinam senes imperatores commigrare. Sed incidit per eos dies ciuitati Ro. funesta calamitas, orta de nimia duorum senatorum audacia. Nā cum senatus haberetur de publicis negocijs, duo ex militibus Maximini, quos in castris reliquerat, emeritæ iam etatis, ad fores curiæ accesserunt exploratum quæ gererētur, inermes videlicet, tantumq; subarmalibus & sagis induti. Constiterant autem pariter cum reliqua multitudine: sed cæteris ante fores præstolātibus, duo trésve ad summam curiosiores audiendi, curiam ingressi, sic vt vltra aram quoq; Victoriæ penetrarent. Hic senator quidam deposito nuper consulatu, Gallicanus

Gallicanus senator.

nomine, ac genere Carthaginensis, altérq; item prætorius Mecœnas, nihil tale expectãtes milites, manúsq; adhuc sub sagulis habentes, repente adactis in corda pugionibus interficiũt. Etenim omnis senatus ob recentẽ seditionẽ, tumultũq; superiorem, alij propalam, pars clanculum gladios gerebant, quibus suam quisq; salutẽ ab inimicorum insidijs tuerẽtur. Ita cæsi milites, quòd se deimprouiso defẽdere haud quiuerãt, prostrati ante altaria iacebant. Quo viso cæteri confestim expauefacti commilitonũ interitu, simul populi concursum formidantes, quòd erant inermes, fugã arripuere. Cæterũ Gallicanus raptim se è curia in mediã multitudinẽ proripiens, gladiũq; & manũ stillantem sanguine ostentans, ad persequẽdos occidendósque senatus populique Romani hostes amicos sociósq; Maximini, vulgus adhortabatur. Quibus rebus inducta plebs, Gallicanum faustis excipit acclamationibus, milit ésq; lapidibus incessit, quatenus licuit persecuta. Cæterum cum se illi in castra recepissent, paucis tantũmodo vulneratis, clausis portis, armísq; arreptis, castrorum mœnia defensabant. Verum Gallicanus, quando semel tantum facinus ausus fuerat, bellum protinus ciuile atq; omnibus perniciosum suscitauit. Quippe iussis effringi publicis armamentarijs, in quibus pompæ magis instrumenta quàm belli asseruabantur, vnde sibi quisque munimentum corporis accommodaret, apertísque item gladiatorum ludis, atque vnoquoque proprijs armis ornato, præterea cunctis quæcunque intra do-

mos aut officinas essēt, hastis, gladijs, ac securibus direptis, cū quicquid occurrerat, furor in arma cōuerteret, statim omnes conferti cōglobatiq; ad castra contenderūt, ac velut vrbē aliquā expugnaturi, murum ipsum portásq; circūsederunt. Cæterum milites, vtpote pugnandi peritissimi, pinnis sese murorum, clypeisq; protegentes, sagittarum iactu crebro ac prælongis contis multitudinem repellebant. Postremo cum iam defatigato populo, sauciisq; magna ex parte gladiatoribus, atq; in vesperam vergente die, regredi in vrbem decreuissent, cōspicati milites securitatem abeuntium (quippe minime ausuros putabant Romani adeo paucos aduersus tantam multitudinem castris eruptionem facere) confestim vniuersi sese portis patentibus in vulgus illud hominū concitauere. Ibi gladiatores ad vnum cæsi, magnáq; pars populi collisa. Quo facto, cum haud procul castris recessissent, rursum sese intra munimenta receperunt. Hinc igitur maior senatui populóq; Romano indignatio oborta. quare duces ex Italia omni probatissimum quenq; delegerunt, iuuentutémq; omnem collectam in vnum, subitarijs armis ac tumultuarijs adornarūt. Horum potissimam partem secum Maximus eduxit, vt aduersus Maximinum præliaretur: reliqui ad vrbis custodiam tutelámq; relicti. Interea quotidie ad muros castrorum dimicabatur, sed profectu nullo, defensantibus superne militibus, ictamq; et sauciam multitudinem fœde repellentibus. At Albinus domi se continens, populo per edictum supplicabat, vt in

gratiam cum militibus rediret, quibus etiam omnium quæ patrauerant, obliuionem atq; impunitatem pollicebatur. Sed neutris id persuasum, gliscente in dies malo, ac populo indignante quòd tanta multitudo tā paucis contēptui foret: contrà militibus ægerrime ferentibus ea se à Romanis passos, quæ vix vnquam à Barbaris expectassent. Postremo quando oppugnatio parum procedebat, visum ducibus interuertere omneis riuos qui in castra peruenirent, vt milites aquarū penuria sitiq; conficerent. Igitur abscindēdo obstruendóq; cunctos è castris aquarum riuos auertebant. Sed enim intellecto periculo milites, ac rebus desperatis, erumpunt vniuersi patentibus portis, cōgressiq; multitudinem fugientem in vrbem vsque persequuntur. Sed vbi iam statario illo certamine plebs inferior intra domos se receperat, ac tegularū lapidúmq; & testarum iactibus desuper vrgere cœperat milites, haud ausi illi ignota ædificia subire, clausis etiam domibus & tabernis, ignem ianuis ac ligneis ædificiorum proiecturis, quales in vrbe plurimæ sunt, illico admouerunt. Quo factum est vt partim crebritate insularum, partim lignea materia bona pars vrbis cōflagrauerit, multiq; ex opulentis pauperes facti, maximis atq; egregijs amissis possessionibus vel prouentu vberrimis, vel splendore ipso & varietate preciosis. Neq; vero pauci extincti mortales, quòd ianuis igne occupatis proripere se domo copia non fuerat. Bonáq; diuitum direpta penitus, immiscente se militibus studio rapiendi faci-

norosissimo quoq;, et tenui plebecula. Sed adeo peruagatum longe latéq; incendium est, vt plus multo cõsumpserit, quàm quantum spatij maxima quæq; vrbs ædificijs occupet. Dũ hæc Romæ geruntur, interea Maximinus confecto itinere Italiam attigerat, ac sacrificato ad aras quæ in finibus ipsis erectæ sunt, pergit iter facere, iussis arma tenere, atq; instructa acie progredi militibus. Sed cum & Africæ defectionem, & Romæ bellum ciuile, prætereáq; res à Maximino gestas, itérq; eius hactenus conscripserimus, reliqua deinceps explicabuntur.

HERODIANI LIBER OCTAVVS.

Quæ post interitũ Gordiani gesserit Maximinus, itérq; eius in Italiã, prætereáq; Africæ defectionẽ, & in vrbe ipsa populi ac militum seditiones, superiore volumine recensuimus. Enimuero Maximinus posteaquã ad Italiæ fines peruenit, præmissis exploratoribus qui specularentur an vllæ in Alpium conuallibus & densissimis syluis insidiæ delitescerent, ipse in planũ deductis militibus, iubet armatorum acies quadrato agmine incedere, vt ab ijs quàm plurimũ campi occuparetur: cunctisq; in medium coactis impedimentis, ipse cum suis stipatoribus veluti subsidio sequebatur, alijs vtrinq; discurrentibus cataphractorũ equitũ, Maurisq; iaculatoribus, sagittariisq; ex Oriente, & equi-

tatu Germanorum, quos auxiliares adsciuerat, quósque etiam præcipue opponere hostibus consueuerat, vt primos videlicet impetus exciperent, feroces audacésque initio pugnæ viri: simul vt si in discrimen veniretur, vilis potissimum Barbaria illa periclitaretur. Sed vbi totam planitiem seruatis ordinibus trãsmiserunt, ad Italiæ vrbem peruentum est, quæ Hema à cultoribus vocatur. Ea sita est in extrema planitie ad Alpium radices: vbi speculatores atque exploratores exercitus narrant Maximino, vacuam relictam vrbem, aufugisse omneis incolas, templorum etiam ac domorum ianuis incendio consumptis, atque omnibus quæ vel in vrbe vel in agris fuerant, exportatis, aut igni corruptis, nihil aut iumentis aut hominibus alimentorum relictum. Quæ res grata in primis Maximino fuit, quòd idem cæteros quoque populos suo quęque metu facturos arbitrabatur: contrà milites indigne tulerunt, quòd ab initio statim fame laborarent. Cumque noctem exegissent partim intra patentes communésque omnibus domos, partim in planitie ipsa, staim Sole oriente ad Alpes accesserunt. Hi sunt longissimi quidam montes, vice murorũ Italiæ circũdati, adeo in altum editi, vt etiam superare nubes videantur: itáque in longum porrecti, vt vniuersam Italiam cõprehendant: læua ad Tyrrhenũ pelagus, dextra ad Ionium vsque pertingentes: densis vbique nemoribus insessi, atque angustissimis callibus, & rupium prærupta altitudine, scopulorúmque asperitate vix peruij, nõnullis tamen quasi semitis magno ve-

Germani audaces ferocésque.

Hema, Italiæ vrbs.

Alpium descriptio.

terum Italorum labore manufactis. Quapropter ingẽs transiturũ illac exercitũ formido tenebat, sperãtem summa iuga teneri iam ab hoste, nullósq; non obstructos exitus ad se prohibendos. Neq; is metus de nihilo erat, locorũ naturam contemplantibus. Postea vero quàm sine vllo impedimento superatis Alpibus in castra descenderant, læti scilicet omnes instauratis animis vitulabãtur, nihilq; non sibi ex sententia cessurum Maximinus arbitrabatur, ne locorum quidem difficultati fidẽtibus Italis, intra quas latitare ipsi, & saluti suæ consulere, prætereáque insidiari hostibus, ac locis superne imminentibus pugnam capessere potuissent. Sed vbi planitiem attigerunt, nunciant exploratores maximã Italiæ vrbem Aquileiam portas occlusisse: Pannoniorũ acies quæ præierãt, acriter murum oppugnasse, cæterum tentata re sæpe omnes incassum conatus euasisse. Itaq; iam defatigatos recedere, lapidibus scilicet et hastis, magnáque sagittarum vi desuper ingruentibus. At Maximinus iratus Pannonijs, quasi parum impigre præliatis, ipse cum exercitu reliquo accelerabat, sperans nullo negocio se illius vrbis potiturum. Sed Aquileia prius quoque (vt erat ingens vrbis eius magnitudo) populo abundabat, & velut Italiæ quoddam emporium ad mare sita, quasique terminus Illyriæ, copiam rerum è continenti per terram fluuiósq; conuectam nauigantibus suggerebat, & ab ipso mari res ad vsum eorum qui continẽtem colunt, necessarias videlicet superioribus terris propter hyemis asperitatẽ minus feraci-

Vitulari id est vitulorũ more lasciuire.

Aquileia Italiæ emporiũ.

bus, maxime tamen vinũ, cuius in ipsa regione maximus prouentus est, vicinis gentibus ne vitem quidem habẽtibus affatim suppeditabat. Ex quo factum vti super ciuium ingentem numerum etiã magna vis hospitum ac mercatorũ eam vrbem frequentaret. Enimuero tunc etiam aucta multitudo confluentibus illuc ex agris quicunque opidulis vicisque circà relictis fidebant vrbis magnitudini, ac vetustis mœnibus dirutis quidem antea magna ex parte. Quippe in tanta Romanorum potentia neq; murorum neque armorum Italiæ ciuitates indigebant, pacem altissimam agitantes, atque in participatum Reipub. adscitæ. Sed tunc vrgente videlicet necessitate, renouatis instauratisq; mœnibus, præterea turribus ac propugnaculis excitatis, totáq; vrbe ad eum modum cõmunita, clausisq; portis, noctem diémq; vniuersi pro muro stantes hostem fortissime propulsabant. Duces erant summa potestate duo consulares viri lecti à Senatu, Crispinus, ac Menephilus. Hi maxima diligentia procurauerant vti necessaria quæq; in vrbem importarentur, sic vt diuturnior quoq; sustineri oppugnatio potuerit. Erat item in vrbe magna aquarum abũdantia, partim ex puteis sanè frequentibus, partim è fluuio muros præterfluẽte, ac pariter fossæ obiectus, & aquarum præbente copiam. His ita intra vrbem cõparatis, vt primum defendi muros diligenter, clausasq; portas Maximinus audiuit, decreuit mittere legatorum specie qui illos alloquerentur, ac, si possent, reserari sibi portas persuaderẽt. Habebat autem in exercitu tribunũ

Duces ĩ Aquileia propugnãda Crispinus & Menephilus.

quendam Aquileiæ ciuem, cuius nati atq; vxor præterea familia omnis in vrbe erant conclusi. Quare eum, centurionésque nonnullos quasi oratores mittit, sperans facilè illius authoritatem municipes secuturos. qui vbi muro appropinquarunt, in hanc sententiam verba faciunt. Iubere communem imperatorem pacem depositis armis colere, séque amicum pro hoste accipere, sacrísq; faciundis vacare, quàm cædibus: miserari patriam paulopost, si obstinati perstiterint, ruituram: licere ipsis (si velint) vna opera sibi quenq; & saluti patriæ consulere. quippe obliuionē veniámq; omniū quæ fecerint, optimū principē polliceri, quādo nihil ipsorū, sed omnia forent aliena culpa cōtracta.

Talia quædam sub muro legati magna voce pronunciabāt, sic vt facilè exaudiri, si nō planè ab omnibus, certe ab ea multitudine possent quæcunq; supra muros turréisq; constiterat. Etenim taciti omnes legatorum dictis aures dediderant. Quare metuēs Crispinus ne pollicitationibus illis, quæ vulgi inconstantia est, ad mutādum pace bellum, reserādásq; hosti portas impellerētur, discursans ipse per muros rogare obtestaríq; singulos, vti audacter manerēt, fortitérq; resisterēt, neq; fidem proderēt senatui debitā, P.Q.R. néve titulū seruatę ac propugnatæ Italiæ totius asper narētur, neu promissis crederēt periuri fraudulentíq; tyranni, néve item benigna oratione inescati, ruerent in manifestam perniciē: sed confiderent belli fortunæ ita plerunq; dubiæ atq; ancipiti, vt magnus interim numerus à paucissimis, & qui potentiores creduntur,

ab ijs qui imbecilliores habeãtur, victi superatiq; sint: néve vtiq; expauescerent exercitus illius magnitudinem. Nam qui pro altero dimicant, cum suæ victoriæ felicitatem ad alios videant migraturam, minus profecto acriter decertant, quippe qui intelligant se quidem in periculi participatũ admitti, cæterum extremos victoriæ fructus ad alium peruenturos. Qui autem pro patria pugnant, præterquã quòd spe meliore esse debent, (neq; enim aliena occupare, sed tueri sua contendunt) etiam animo sunt maiore, vt quos non alienũ imperiũ, sed sua quenq; necessitas adigat, quoniã scilicet victoriæ fructus ipsis potissimũ debeãtur.

Talia quædam nunc singulis, nunc vniuersis ingerẽs Crispinus, homo suapte natura venerabilis, ac Romana facũdia pollens, præterea gratus omnibus miti modestóq; imperio, persuasit multitudini vt in officio fideq; permanerẽt: iussitq; legatos rebus infectis ad Maximinum reuerti. Dicebatur autẽ Crispinus ad bellũ sic audacter sustinẽdum, etiã haruspicũ responso, qui læta exta nunciarent, animatus. Etenim magnopere fidem huiuscemodi signis habere Itali consueuerunt. Cæterum nõnulla quoq; oracula ferebãtur patrij cuiusdam numinis victoriam promittẽtia: Belem vocãt indigenæ: magnáque eum religione colunt, Apollinem interpretãtes: cuius etiam speciem pro vrbe ipsa pugnantem quidam è militibus Maximini visam sibi in cælo affirmabant. Quod vtrum sic esse nonnulli putauerint, an id cõmentum placuerit ad leuãdam infamiam tanti exercitus, qui bello impar foret aduersus

Bel deus Apollo creditus.

minorem multo numerũ opidanorum, vt scilicet victi potius à dijs, quàm ab hominibus viderentur, haud sanè satis exploratum habeo. Cæterum nouitas euentus cuncta credibiliora facit. Postea vero quàm infecto negocio legati reuerterũt, ira & furore instinctus Maximinus, magis magisq; accelerabat. Vt autem ad fluuium peruenit, qui ad lapidem duodecimum procul est ab vrbe, inuenit ipsum maxima aluei profunditate ac latitudine defluẽtem. Etenim anni tempore solutæ vicinorum montium niues, quas longa hyems durauerat, maximum torrentem effecerant, sic vt nullo pacto transire exercitus posset. Nam pontem, quod opus magnum atq; pulcherrimum veteres imperatores lapide quadrato construxerant pilis veluti quibusdam paruis sensim crescentibus, ruperant ac resoluerant Aquileienses. Ita cum neq; ponte, neq; nauigijs (quippe nulla suppeditabantur) transire exercitus posset, substitit incertus consilij. Sedenim Germani aliquot ignari quàm rapido abruptóque impetu Italiæ flumina deferãtur, ratíq; sensim influere campos, quemadmodum apud ipsos consueuerunt (vnde etiã quia minimũ se concitant, perfacilè congelascũt) ausi seq; & equos natãdi peritos alueo credere, vi fluminis ablati perierũt. Igitur cum biduum aut triduũ in tentorijs fuisset Maximinus, ducta circum exercitum fossa, ne qui deimprouiso in castra ruerent, stabat in sua ripa deliberabundus quonam tãdem pacto fluuium ponte iungeret. Sed magna lignorum ac nauigiorum penuria, quibus inter se iunctis pontem fa-

bricaretur, nunciarunt quidam è fabris, esse permultas in agris illis desertis inanes cupas forma rotũda, quibus videlicet incolæ quondam ad vinum importãdum vtebantur. Ea cum essent ad nauium similitudinem cõcaua, deuincta mox inter sese scapharũ more, innatatura videbantur. Etenim ire pessum vinculis inter se constricta, ac viminibus desuper iniectis, & puluere multo saburrata nõ poterãt. Quod vbi factũ est, facilè milites in vlteriorẽ ripam transgressi, suburbanis ædificijs, quæ deserta inuenerunt, igni correptis, vites arboré sque exciderunt, omnémq; eius regionis ornatum fœdauerunt. Siquidem arborum comparibus ordinibus, ac vitibus inter se iunctis, & in sublime euectis, ad festæ celebritatis speciem quasi coronis quibusdam redimita omnis regio videbatur: quibus radicitus excisis, exercitus ad ipsos vrbis muros contendebat. Sed omnibus defatigatis, non fuit imperatoris consilium vrbem ipsam statim inuadere: sed extra teli iactum constituto milite, diuisóque in centurias & cuneos, ac partibus muri totius vnicuiq; attributis, vno tantum die ad requiescendum indulto, statim deinde oppugnare vrbem aggreditur. Igitur machinamentis omnifariam admotis, cum genus oppugnationis nullum prætermitteretur, plurima scilicet, ac propemodum quotidiana certamina edebantur. Etenim circundatis velut indagine quadam muris, magnáq; vi atq; alacritate pugnã capessente milite, resistebant audacter Aquileienses, clausisq; templis & domibus, vniuersi cum liberis & coniugibus vrbem

desuper è turribus ac propugnaculis defensabant. Neq; erat ulla tam inutilis ætas, quæ pugnare pro patria recusaret. Cæterum suburbana omnia, & quicquid extra urbem ædificiorum fuerat, demolitus Maximinus, lignis materiáque omni ad machinas abutebatur, quibus muri saltem aliquam partem demoliretur, qua immissus exercitus diriperet urbẽ, ac dirueret, totámque eam vastam mox desertámq; relinqueret. Neque enim decorum sibi aut honorificum fore iter Romam arbitrabatur, nisi urbem deleuisset quæ prima in Italia obstitisset. Quocirca multa pollicentes atq; ostentantes ipse cum filio, quem Cæsarem fecerat, obequitabant militibus, eósque ad pugnandum acriter adhortabantur. Enimuero Aquileienses saxa desuper iaciebãt, sulphúrq; bitumine ac pice mixtum dolijs quorum manubria longiora, immittebant: atque ut primum exercitus muris successerat, ignibus iniectis dispergebant unanimiter imbrium ritu. Quamobrem pix illa cum cæteris quæ supra diximus, partes nudas corporis subiens, undiq; diffundebatur, sic ut miles loricas armáq; cætera ferro excandescente, coriisque ac lignis ardentibus, contrahentibúsque se, raptim abijceret. Itaque cernere erat milites arma sibi ipsos detrahentes, quæ spoliorum speciem abiecta humi, cõmento magis artis, quàm vi pugnantiũ præferebant. Ex quo factum est ut plerisq; militibus aut oculi extinguerẽtur, aut summæ oris partes, manúsq; item, & siqua præterea nuda in corpore patebãt, ignibus labefactarentur. Sed & machinis quæ muro ad-

Omnis ætas pro patria pugnat.

mouebantur, desuper tedas inijciebant pice ac resina oblitas, quarum extremitas mucronem veluti sagittæ haberet: quæ cum accensæ deferebantur, infixæ inhærentésq; machinis, facilè scilicet illas cócremabát. Sed primis sanè diebus par vtrinque librata fuit pugnæ fortuna: dein mora iniecta, minus minúsq; iam alacer Maximini erat exercitus, scilicet quia spe falsus: tristiorq; in dies. Ná quos ne vnú quidé diem sperauerant suum laturos impetum, eos non modo non cedentes, sed resistentes etiá audacissime animaduertebát. Contrà Aquileiéses magis magisq; in dies virium atq; animorum implebantur, & assiduitate pugnandi peritiam pariter audaciámq; consecuti, sic despiciebant milites, vt etiam iocarentur in eos & cauillarentur, nihilq; non contumeliæ obeunti muros Maximino exprobrarent, tum in ipsum iuxta filiúmque nulla non iacerent probra. Quibus iritatus, ac furens, cú effundere in hostes irá non liceret, plurimos è suis ducibus, quasi parum strenue atq; acriter vrbem oppugnarét, extremo supplicio affecit. Quo factum vt infestioré sibi atq; iratiorem militem reddiderit, & contemptibilior fieret aduersarijs. Euenit præterea vt Aquileienses commeatu rebúsq; cæteris abundarent, quoniam magna diligentia, quæcunque ad homines aut equos sustentandos desyderantur, in vrbem fuerant comportata. Contrà exercitus omnium rerum egenus, excisis feracibus arboribus, agróque omni peruastato, partim sub tumultuarijs tentorijs agitabant, partim sub aperto cælo tolerabant solem atque imbres.

Maximini exercitus omniú rerum egenus

Siquidem nihil alimenti vel ipsis vel iumẽtis importabatur, obsessis omnibus Italiæ itineribus Romanorum diligentia, murisque & portis excitatis. Etenim viros consulares cum lectissimis ac spectatissimis hominibus ex Italia tota miserat Senatus, qui littora portúsque tutarentur, neque cuiquam potestatem facerent nauigandi, sic vt inaudita incognitáque forent Maximino quæcunq; Romæ agitabantur. Quin viæ quoque omnes & calles, ne quis transiret, diligentissime seruabantur. Ita eueniebat vt exercitus qui vrbem obsidebat, ipse inuicem obsideretur. Nam neque Aquileiam capere, neque Romam proficisci poterat, nauigiorum ac vehiculorum penuria, quæ omnia prius occupata & conclusa fuerant. Rumores quoque suspicionibus in maius augebantur, esse vniuersum in armis Romanum populum, consensisse Italiam, gentésque omnes Illyricas, Barbarásq; quascunq; aut Oriens aut Meridies videt, ad exercitum contrahendum, coniuratas in Maximini odiũ. Quare desperantes milites, omnium rerum penuria laborabant, vix'q; aquæ satis habebant, quam etiã pollutam sanguine & cædibus de flumine hauriebant. Nam & Aquileienses cadauera suorum, quæ humari non poterant, in flumina præcipitabant: & qui ferro morbóq; in exercitu perierant, itidem alueo demergebantur: inter quos etiam qui inopia ciborũ confecti, vix adhuc spiritum retentabant. Cum igitur ad hunc modum mœstus atq; inops exercitus esset, repente dum sub tentorio quiescit Maximinus vacuo die à pugna,

Senatus industria cõtra Maximinum.

cum plerique aut in tabernacula aut in suas quisque stationes concessissent, visum est militibus ijs quorum ad vrbem Romã sub monte Albano castra erãt, atque in his liberi eorum cõiugésque relictæ, neci dedere Maximinum, vt aliquando à diuturna & inexplicabili obsidione requiescerent, neque Italiæ bellum inferrent in tyranni gratiam, damnati omnibus & inuisi. Quocirca occupata audacia, sub mediũ ferme diem ad illius tentorium contendunt, conspirantibus vnà corporis custodibus. Ibique postquam de signis militaribus illius imagines detraxerunt, prodeuntem mox tentorio cum filio vt ad eos loquerentur, continuo obtruncant, vnáque præfectum prætorio, & quoscũque charissimos ille habuerat: proiectáque ad ludibriũ cadauera, canibus dein volucribúsque lanianda reliquerunt, missis tantũ Romam imperatorum capitibus.

Hũc habuit finem Maximinus cum filio. Ita male gesti imperij dedere ambo supplicium. Cæterum exercitus hærebat nece audita principũ. Neque enim perinde omnibus grata, præsertímque Pannonijs Thracibúsque Barbaris, qui scilicet imperium tradiderãt. Sed quando infectum fieri iam nequibat, ferebant quanquã inuiti, & se gaudere cum cæteris simulabãt. Quare depositis armis, pacatorũ habitu ad Aquileiæ muros accesserunt: nunciatáque cæde Maximini, petebãt vti sibi portæ aperirentur, amicis iam, qui pridie hostes fuissent. Enimuero Aquileiensium duces haud passi, proponunt Maximi & Albini ac Gordiani cæsaris imagines coronis & lauro redimitas. Quibus ipsi ac-

Maximini ac filij eius cædes

clamantes etiam hortabātur exercitum ut agnoscerent, salutarēntque, & lætis exciperēt vocibus, quos senatus populúsque Romanus iperatores elegisset. Nā Gordianos illos superiores cum dijs agere æuum. Sed & forum rerum venaliū supra muros exposuerūt, magna ciborū viniq; copia, prætereáq; vestiū & calceorum, rerúmq; adeo omnium quas præbere hominibus posset ciuitas beata & florens. Igitur magis magisque ea res exercitum obstupefecit, cogitantē fuisse illis abunde omnia etiam ad longiorē obsidionē suffectura, contráq; se magna egestate omnium prius aliquanto perituros, quàm vrbe omnibus circūfluente copijs potirentur. Ita manēte sub muris exercitu, & quæ cuiq; vsui forent, inde sumentibus, colloquētibúsq; inter se, pacis erant amicitiæq; velut habitus, manente adhuc obsidionis specie, cū scilicet clausa mœnia Romanus circūsederet exercitus. Dū hæc ad Aquileiā gerūtur, interea equites qui Maximini caput Romā ferebāt, magno studio accelerātes, patentibus vbiq; portis, ac laureata popularium frequentia excepti, stagnis paludibúsq; inter Altinum ac Rauennam enauigatis, Maximum in vrbe Rauenna inuenerunt, delectos ex vrbe & Italia contrahentem milites, ac Germanorū auxiliares, qui beneuolētiæ nomine publice à popularibus missi fuerāt, quibus olim Maximus cum imperio diligentissime præfuerat. Ergo paranti copias aduersus Maximinum repente occurrunt equites capita ferentes principum, victoriámq; nunciantes, & rerum prosperos successus, cōsensúmq; exercitus

& populi ad eosdē collēdos principes quos senatus elegisset. His igitur præter spem nunciatis, statim ad aras sacrificatum discurritur, victoriam canentibus vniuersis, quam citra pulueris iactum sibi pepererant. Enimuero Maximus peracto sacrificio Romam dimittit equites, vt rem gestam populo narrent, & capita illa perferant. Qui postquam peruenere in vrbem, atq; infixa contis hostilia capita omnibus cōspicienda prætulerunt, nemo vtiq; verbis vllis consequi posset festum lætitiámq; eius diei. Nulla quippe fuit ætas quæ non ad aras & templa festinaret, nemo qui domi se continuerit: sed ibant ceu lymphati, gratantes inuicem, atque in circum veluti futura concione frequentes concurrebāt. Ipséq; Albinus hecatōbas immolabat, nulliq; non magistratus, nulli nō è senatorio ordine lætabundi supra quàm dici posset, agitabant, quasi securim ceruicibus imminentem excussissent. Igitur nuncij legatiq; per omnes prouincias laureati dimittebantur. Dumq; ad hunc modum tanta Romanum Po. lætitia tenebat, interea Maximus Rauenna profectus Aquileiā peruenit, transmissis paludibus in quas fluuius Eridanus ac vicina exundant stagna, sic vt per ora septem in mare præcipitentur. Itaq; indigenæ patria lingua paludē illam septem maria appellant. Statim igitur Aquileienses Maximum reseratis portis excepere, nullǽq; nō Italiæ ciuitates legatos mittebant principes viros candidatos ac laureatos, & deorum patriorum simulacra aureásq; coronas siquæ in donarijs fuerāt, comportā-

tes, qui fausta omnia Maximo acclamarent, & frondibus eum conspergerent. Quin exercitus etiam qui Aquileiam circũsederat, pacato habitu prodibat laureatus, non tam vero concordiq; affectu vniuersorũ, quàm ficta beneuolentia, & honore temporario ad præsentem fortunam principis accommodato, plerisque tamen indignantibus ac dolentibus clanculum, quem ipsi elegerant, cecidisse, rerum potiri quẽ senatus creauerat. Enimuero Maximus vno alteróq; die sacrificijs absumpto, tertio dein exercitum omnẽ in planitiem conuocauit, atq; ex tribunali ad hunc modum verba fecit. Quàm fuerit ex vsu vobis pœnitentia, & reconciliata cum Romanis gratia, re ipsa didicistis, pacem videlicet pro bello agitantes, seruato etiam militari iureiurando, quod est vnũ Romani principatus mysterium sanctissimũ. Quare debetis etiam deinceps huiuscemodi commodis frui, fidem populo seruantes, senatuiq; Ro. & nobis imperatoribus, quos à nobilitate & rebus gestis, longáq; serie generis, quasi per gradus quosdam prouectos, pari iudicio S.P.Q.R. elegerunt. Neq; enim vnius tantum hominis peculiaris possessio principatus est, sed communis antiquitus totius Romani Po. Siquidem in illa vrbe sita est imperij fortuna: nobis autem dispẽsatio tantũ atq; administratio principatus vnà vobiscum demandata est. Qui si ordinem quem decet ac modestiam retinebitis, si debitum principibus honorẽ ac reuerentiam exhibebitis, cum ipsi beatam vitam, bonisq; omnibus affluentem adipiscemini, tum natio-

Maximi cõcio ad milites.

nes ac ciuitates vniuersæ pacē colētes, in officio permanebūt. Viuetis autem cūcti ex animi vestri sententia domi suæ quisq́ꝫ, neq́ꝫ in externis regionibus cōflictabimini. Vt autem Barbaræ gentes pacem quietéq́ꝫ tueātur, nobiscum erit hic labor. Nam cum duo sint imperatores, facilius vrbanæ res administrabuntur atq́ꝫ externæ, præsto scilicet futuro alterutro quocūq́ꝫ vsus vocauerit. Neq́ꝫ vero suspicemini rerum superiorum memoriā vllam superfore aut in nobis (quippe nihil non iussi fecistis) aut in Ro. Po. nationibúsq́ꝫ alijs quæcunq́ꝫ ob acceptas iniurias desciuerunt. Sit omnium obliuio, sit fœdus constantis amicitiæ, fidésq́ꝫ beneuolentiæ ac moderationis sempiterna. Hæc locutus Maximus, ac pecunias magna copia pollicitus, paucos Aquileiæ commoratus dies, Romam reuerti cōstituit. Igitur dimisso exercitu reliquo in prouincias, castráq́ꝫ propria, Romam reuertitur ipse cum stipatoribus ijs quibus imperatorum custodia incumbebat, quiq́ꝫ delecti ab Albino fuerāt, neq́ꝫ non auxiliaribus Germanis, quorum potissimum fidei cōfidebat, vtpote quibus olim nondum adepto imperio cum potestate præfuerat. Ingredieti vrbem etiam Albinus occurrit, Gordianum Cæsarem secum adducens. Senatus autem populúsq́ꝫ vniuersus lætis acclamationibus veluti triumphantes exceperunt. Post id autem, cum publice priuatímq́ꝫ magna modestia & grauitate imperium gubernaretur, omnésq́ꝫ omnia bona dicerent, lætaretúrq́ꝫ populus, & gloriaretur patricijs imperióq́ꝫ dignis principibus, militum tamē vlcerosi

animi populares illas acclamationes haud æquis auribus accipiebant, ipsámq; illam nobilitatem grauabantur, indigne ferentes datos sibi à senatu principes. Angebant præterea eos Germani quos in vrbe secū Maximus retinuerat. Nam futuros vindices sperabant si quid ipsi maius ausi forent: etiámq; insidias suspectabant, ne forte ab illis per fraudem exarmarentur: memores Seueri principis, qui etiam Pertinacis interfectores exauctorauerat. Cum itaque ludi Capitolini celebrarentur, deditis festo ac spectaculis omnium mentibus, repente dissimulatum diu sensum milites indicarūt. Nāq; ira instincti ac vesano quodam motu vnanimiter ad regiam concurrentes senes principes ad necem deposcebant. forte accidit vt ne ipsi quidem inter se satis congruerent: sed (vt est regnandi inexhausta auiditas, atq; incommunicabilis natura potestatis) vterq; ad se summam imperij trahebat. Etenim Albino claritudo natalium, atq; iterum gestus consulatus, Maximo autem præfectura vrbi, & quòd rerum peritus habebatur, animos faciebant: vtrūq; tamen patricia nobilitas, & quantū satis esset, illustre genus, ad summum imperiū stimulabant. Quæ res in primis ambos perdidit. Nam audito Maximus venisse ad se occidendū milites qui prætoriani appellātur, arcessere statim Germanos auxiliares statuerat, qui scilicet in vrbe ipsa erant, ac posse resistere prætorianis videbātur. At Albinus dolū contra se cōpositámq; aliquā suspectans fraudem, quòd studere Maximo Germanos cognouerat, prohi-

buit acciri illos, negans ad prohibendos repellendósq; prætorianos cõuocari, sed id agi, vt summa rerum solus Maximus potiatur. Ac dum inter se ad hunc modum disceptant, ecce tibi vnanimiter milites impetu in aulam facto, turbatis ianuarum custodibus, senem corripiunt vtrunque: laceratísq; vestibus quas gerebant, vilioribus sanè, vtpote domi se continentium, nudos ipsos ex aula abstrahunt, ac per omnem ignominiam contumeliámque cædentes, irridentésque senatorios imperatores, barbámq; & supercilia vellentes, neque vlli parcentes corporis totius ludibrio, per mediam vrbem ad castra deducebant, ne occidere quidem illos in regia decreti, sed lento mortis genere prius excarnificare, quò dolorem diutius perpeterentur. Sed vbi Germanos re deinde cognita raptis armis in auxilium concurrere nunciatum prætorianis est, statim illos nullo non ludibrio prius affectos contrucidant: relictísque in ipsa via cadaueribus, tollentes in altum manibus Gordianum Cæsarem, quando aliud nihil occurrit, imperatorem cõsalutabant, identidem ad populum vociferantes, iacere ipsorum manu quos populus ab initio recusauerat, electúmq; Gordianum, Gordiani nepotem, quem ipse Ro. Po. ad imperium compulisset. Hunc igitur secum deducentes coiere in castra, clausísq; portis quieti agitabant. At Germani vbi occisos proiectósq; audierũt quorũ causa properauerant, cum nollent irritum bellum pro viris vita defunctis suscipere, in sua diuersoria reuertũtur.

Gordiani nepos imperator consalutatus.

Hunc finem vitæ habuerunt, indignum videlicet ac nefarium, sancti & venerabiles senes, claritudine generis atque egregijs meritis ad imperij fastigium prouecti. Cæterum Gordianus cum annorum esset fermè tredecim, priceps ab vniuersis declaratus, Romanũ suscepit imperium.

FINIS.

PARISIIS, EX OFFICINA LVDOVICI BLAVBLOMII GANDAVI, IMPENSIS HONESTISSIMI VIRI SIMONIS COLINAEI, ANNO SALVTIS M. D. XXIX. MENSE NOVEMBRI.